Klassische Philologie

De Rheso Thracum heroe

Johannes Rempe

Klassische Philologie

De Rheso Thracum heroe.

Commentatio philologa,

quam consensu et auctoritate amplissimi philosophorum physicorumque in alma litterarum universitate Wilhelmia Westfala Monasteriensi ordinis ad summos in philosophia honores rite capessendos

scripsit

Johannes Rempe

Rhenanus.

Monasterii Westfalorum.

Ex Officina Societatis Typographicae Westfalae

MDCCCCXXVII.

Consensu et auctoritate ordinis philosophorum commentationem typis expressam esse testatur

Arnoldus von Salis,
ordinis philosophorum h. a. decanus.

Ad ordinem philosophorum de comprobanda commentatione rettulit

Carolus Münscher,
p. p. o.

Examen rigorosum habitum est die XX. mensis Mai a. MDCCCCXXVI.

Parentibus optimis sacrum.

Praefatio.

Rhesus quamquam unanimis antiquorum scriptorum testimoniis [1]) Thrax fuisse traditur et multi huius aetatis viri docti pro certo hoc habuerunt [2]), tamen non defuerunt [3]), qui eius originem in dubitationem vocarent et demonstrare conarentur genuinum Thracum heroem eum non esse, immo illam de Rheso Thracum heroe fabulam ab auctore decimi libri Iliadis inventam atque a posteriorum temporum scriptoribus adiectis novis quibusdam commentis auctam et mutatam esse. Quam ad dissensionem virorum doctissimorum disceptandam, ut de huius fabulae origine et historia verum tandem cognoscatur, pro mea virili parte aliquid conferre eo magis operae pretium ac fere necessarium visum est, cum ducem illum ac principem studiorum mythologicorum Carolum Robert [4]), de hac re iudicium tulisse intellexissem, quod mea quidem sententia stare nullo modo potest.

In tractanda autem re hac usus sum ratione, ut primo capite neglecta [5]) illa quae Rhesus inscribitur tragoedia in Euripideis nobis servata [6]) aliis nixus testimoniis Rhesum genuinum

---

1) K 435 s. Hippon. fr. 41 Diehl. Rhes. trag. 276 ss; 393; 651. multis aliis locis.

2) Wilamowitz, Hom. Unt. 27,15. Hiller de Gaertringen, De Graecorum fabulis ad Thraces pertinentibus, Berolini 1886, 83. Jessen ap. Roscher IV 99. Sittig P. W. I A 625. Porter, The Rhesus of Eurip. ed. with introduction and notes, Cambridge 1916, XV. alii.

3) Leaf J. H. St. 35 (1915) 1—11. Preller-Robert, Gr. Myth. II 1167—1173. cf. Cauer B. ph. W. 1916, 810. Dahms, Ilias und Achilleis, Berlin 1924, 37.

4) Gr. Myth. II. 1167—1173.

5) Hoc ea de causa feci, quod Leaf ab auctore tragoediae vel oraculo Atheniensibus a. 437/6 dato (de quo v. infra 13) Rhesum primum ad Thraciam esse revocatum contendit, quam sententiam falsam esse clarissime apparebit, cum tragoedia praetermissa Rhesum genuinum esse Thracem demonstravero.

6) Wilamowitz, qui quarto a. Chr. n. saeculo hanc tragoediam factam esse putat (Einl. att. Trag. Berl. 1910, 11; Versk. 371, 2), rectius iudicasse mihi videtur, quam qui ipsum Euripidem auctorem esse probare conati sunt. Commentorum, quae post Porteri editionem de hac re scripta sunt, affero Richards Cl. Qu. X 1916, 192—197; Pearson Cl. Rev. XXXV 1921, 52—61.

esse Thracum heroem demonstrarem, altero quae in illa tragoedia de Rheso proferuntur exquirerem, qua in re illud gravissimum est ac difficillimum quaesitu, a quonam primo Musa Rhesi mater dicta sit, tertio, quomodo factum sit, ut Rhesum a Diomede superatum esse narraretur, et quae sit vera Rhesi natura disputarem, ultimo denique fabulae de Rheso Thracum heroe historiam brevi comprehenderem et, quomodo a posteriorum temporum scriptoribus Rhesi fabula novis commentis aucta sit, spectarem.

Caput primum.

In perlustrandis illis locis, quibus de Rheso heroe agitur, incipiamus necesse est ab Homero[1]), qui Rhesum regem Thracum [2]) filium Eionei esse dicit. Urbs Eion vero in sinistra ripa Strymonis fluminis ad mare erat sita [3]) prope Amphipolim urbem postea demum hac in regione conditam. Quam Eionensium urbem Oberhummer [3]) conditam esse dicit a Persis temporibus Darei, secutus Eduardum Meyer[4]), qui in ora septentrionali maris Aegaei complura Persas castella collocavisse censet, quorum Doriscum prope os Hebri et Eionem ad Strymonis os sitam nominat. Ac Doriscum a Persis conditam esse cum ex Herodoto [5]) efficias, ne ubi postea Eion urbs sita erat iam ante Darei tempora Graecorum fuerit colonia, nihil obstat[6]). Atque

---

[1]) K 435.

[2]) Leaf Homerum Thraciam nihil nisi eam regionem dixisse affirmavit (p. 1), quae ab Hellesponto in Septentrionem vergit, ad quam opinionem refellendam Porter (XXVII) rectissime Ξ 225 protulit, ubi Hera relicto Olympo per Pieriam et Emathiam, deinde super niveos Thracum montes ad Atho contendisse et inde per mare ad Lemnum pervenisse narratur. Quo loco quin Homerus *Θρηκῶν ὄρεα νιφόεντα* regionem circa Chalcidicen paeninsulam sitam dixerit, dubium esse non potest. Ceterum a Graecis antiquioris aetatis totam illam regionem ad oram septentrionalem maris Aegaei sitam Thraciam vocatam eandemque a Thracum imprimis gentibus quondam habitatam esse constat. cf. Strab. VII 329, 11; 330, 24; 331, 36; X 471, 17. Kiepert, Lehrbuch d. alt. Geogr. Berlin 1878, 307 ss. 320. Tomaschek, Die alten Thraker, Sitz. Ber. Wien. Ak. Wiss. 128 (1893) fasc. IV. Kretschmer, Einl. Gesch. gr. Spr. 171—243.

[3]) Thuc. IV 102, 4. Oberhummer P. W. V 2116.

[4]) Gesch. Alt. III § 172. — [5]) VII 59. Busolt (Gr. Gesch. II 529) in planitie circum Doriscum sita castellum munitum esse satis caute dicit.

[6]) cf. Herod. V 2; V 10; VII 25; VII 107; VII 113; VIII 118; VIII 120. Busolt II 637.

probabile esse puto quod iam pridem Henricus Kiepert [1]) de hac re contendit: Ionum colonos primo regionem circa os Strymonis sitam *ἠιόνα* i. e. „oram“ appellavisse, postea vero idem nomen oppido quoque in Strymonis ora condito datum esse. Eioneum vero, Rhesi patrem, eponymum esse Eionis urbis heroem Wilamowitz [2]) suo iure coniecit, cuius sententiam multi viri docti (nomino Hiller de Gaertringen[3]), Robert[4]), Perdrizet[5]), Sittig[6])) secuti sunt. Sed fortasse Graecos flumen, cuius nomen Phrygium [7]) *Στρυμών* postea susceperunt, primo *Ἠιονέα* i. e. „orarium“ (sc. fluvium) vocavisse suspiceris, praesertim cum Conon[8]) Strymonem Eioneum olim vocatum esse tradiderit. Quod testimonium utrum verum [9]) an falsum[10]) sit, ut diiudicemus, quaeramus necesse est, quem auctorem Conon in enarranda quarta *διηγήσεων*, quas Augusti fere aetate Archelao Philopatori regi dedicavit, secutus sit.

Atque quamquam Uldaricus Hoefer, quibus auctoribus Conon usus sit, summa cum diligentia perscrutatus, cum tres potissimum scriptores eum exscripsisse affirmasset[11]), Ephorum scilicet et Hegesippum Mecybernaeum et auctorem quendam incertum, qui commentarios de fabularum historia in angustum coactos conscripserit, ad Hegesippum illum qui tertio fere a. Chr. n. saeculo floruisse videtur [12]), narrationes 10, 32, 46, 13, 4, 20, 7, 17 rettulit, tamen non defuerunt[13]), qui, num Hegesippus Cononis auctor fuerit, in dubium vocarent, cum E. Schwartz [14]) Hoeferum de Hegesippo Cononis auctore optime atque felicissime disputasse dixerit. Hoefer vero initium de Hegesippo disputandi a decima Cononis narratione fecit, quam ex eius Palleniacis sumptam esse ea de causa contendit[15]), quod ad narrationem Parthenii[16]), quae eandem fere de Pallena tradit fabulam,

---

[1]) 315. — [2]) Hom. Unt. 27, 15; 413. — [3]) 80. — [4]) Stud. z. Ilias, Berlin 1901, 502. Aliam sententiam protulit Gr. Myth. II 1169. — [5]) Cultes et mythes du Pangée. Annales de l'Est. Année 24. fasc. 1. Paris 1910, 14.

[6]) P. W. I A 625. — [7]) Tomaschek I 32; I 58; — [8]) fr. 4. Jacoby. — [9]) quod Porter (XV) putavit.

[10]) Leaf (1 adn. 1) Cononem hoc eo consilio invenisse putat, ut Homeri testimonium ad tragoediam accomodaret. cf. Sittig P. W. I A 626.

[11]) Konon, Greifswald 1890, 107. — [12]) Jacoby P. W. VII 2611, 9 ss.

[13]) Oder W. kl. Philol. 1890, 512 ss. Jacoby P. W. VII 2610. F. Gr. Hist. I 499. Martini P. W. XI 1337. — [14]) Hermes XXXV 1900, 129, 5.

[15]) 53 ss. — [16]) 6.

in margine codicis Palatini adscriptum[1]) est: Ἱστορεῖ Θεαγένης[2]) καὶ Ἡγήσιππος ἐν Παλληνιακοῖς, atque Hegesippum in Palleniacis de Pallena Sithonis filia, Cliti muliere, Pallenes paeninsulae heroide eponymo egisse e Stephano Byzantio[3]) discimus. Oder vero hanc Hoeferi argumentationem dissolvere conatus est, cum nonnullis in rebus Parthenii et Cononis narrationes tantopere discrepare diceret, ut eas ex eodem quasi fonte esse haustas vix probabile videretur. Primum enim qua de causa Sithon[4]) ipse certare desiisset, deinde quomodo dea Pallenen morti eripuisset, diverso neque congruenti modo a Parthenio et Conone esse explanatum et, quod maxime mirandum, Sithonem a Parthenio Odomantum trans Strymonem ad Pangaeum montem habitantium, a Conone vero Pallenes paeninsulae regem vocari. Praeterea inter fabulam de urbis condicione a Conone prolatam et narrationem illam amatoriam, qualem Parthenius exhiberet, multum interesse. Sed in comparandis his duabus narrationibus primum quidem id tenendum est, cum Cononis narrationes legamus, quales Photius patriarcha eas excerpendo contraxit, facile fieri potuisse, ut quaedam res interciderent, deinde Cononis, quae ad historiam et genealogiam Pallenes paeninsulae et Pallenes mulieris, Parthenii, quae ad amorem Pallenes pertineant, narrare interfuisse. Res vero ipsae, quae narrantur, adeo diversae non sunt, ut eas e diversis quasi fontibus emanavisse efficiatur. Nam quod Sithon a Conone Thraciae Chersonesi — i. e. Pallenes paeninsulae[5]) — a Parthenio Odomantum rex dicitur, nobiscum reputemus necesse est, cum et Pallenen paeninsulam, Sithones[6]), quae gens ab Edonibus orta est, coluerint et cum Edonibus Odomantes[7]) necessitudine coniuncti fuerint, gentes vero Edonum antiquissimis temporibus totam illam regionem inter Axium inferum et Hebri ostium sitam tenuerint[8]), sane fieri potuisse, ut scriptor aliquis Sithones „Odomantes“ vocaret, neque prorsus improbabile videri Sithonem cum Sithonum tum

---

[1]) de fide his adnotationibus habenda v. infra 17.

[2]) Διογένης P, Θεαγένης Gale, qui Cononem edidit Paris 1675.

[3]) s. v. Παλλήνη. — [4]) Errore typothetae hic et locis qui sequuntur pro Sithone Clitus et pro Clito Sithon impressum est, nisi forte hoc mendum Oderi culpa ortum esse putemus.

[5]) Strab. VII 330, 25. Steph. Byz. s. v. Παλλήνη.

[6]) Tomaschek I 37. — [7]) Tomaschek I 39 s. — [8]) Tomaschek I 33.

Odomantum fuisse regem, nisi forte Cononem Θρακίαν χερρόνησον terram Odomantum dixisse opineris, cum Aeschinis scholiasta[1]) regionem circa Ἐννέα ὁδούς — i. e. Amphipolim — sitam sua aetate Chersonesum appellatam esse tradiderit. De causa vero, qua commotus Sithon rex procos primo secum, postea inter se pugnare iusserit, Parthenius et Conon diversa non exhibent; nam ille Sithonem prius filiae matrimonium procorum certamine cum ipso patre posito prohibuisse, aetate vero provectum filiam in matrimonium dare atque ipsorum procorum inter se certantium certamen constituisse narrat, hic vero, qua de causa condiciones pugnandi mutatae sint, omnino non dicit. Denique primo obtutu narrationum exitus diversissimi esse videntur; sed eo in libro, quo Parthenius et Conon usi sunt, narratum fortasse erat Venerem cum incolis tum regi ipsi noctu visam rogum incensum magnis imbribus exstinctum iri ostendisse, quam rem uterque scriptor parum accurate narraverit. Cum igitur Cononis decima et Parthenii sexta narratio non adeo discrepent, ut ex eodem auctore desumptae esse non possint, Hoeferi sententiam de huius Pallenaeae narrationis auctore rectam esse censeo. Quod vero ad Cononis narrationem tricesimam alteram attinet, qua sextae argumentum completur, etiam Oder[2]) Hoeferum[3]) sequitur. Narrationes quidem 46 et 17 ex Hegesippi Palleniacis esse desumptas Oder[4]) iure negasse mihi videtur, de ceteris[5]) vero narrationibus, quas Cononem ex Hegesippo sumpsisse Hoefer[6]) affirmavit, sic iudicavit[7]): „Wenn man den Ursprung einiger Konon-Abschnitte aus Hegesippos für erwiesen hält, wird man mit einer gewissen Wahrscheinlichkeit auch andere pallenische Localsagen derselben Vorlage zuweisen, so 13 und 4 und 20.“

Quod vero Martini[8]) Cononem, cum Atticorum quos dicimus rhetorum sermone et argutiis usus narrationes composuisset, veteribus auctoribus usum vix esse contendit, non probo; nam Cononem, etsi Atticorum sermonem imitandum sibi proposuit, tamen diligenter ac multifariam veterum scriptorum libros versavisse quid vetat, praesertim cum Photius hoc disertis verbis

---

[1]) II 31. — [2]) 514. — [3]) 59 ss. — [4]) 514 s. cf. Hoefer 59 ss.

[5]) excepta septima, cuius Oder mentionem non fecit, quam Robert (Gr. Myth. II 414, 3) ex Sophoclis Thamyride haustam esse censet.

[6]) 59—68. — [7]) 515. — [8]) P. W. XI 1336 s.

tradiderit[1]), cuius de Cononis stilo iudicium Martini tanti aestimat?

Summam igitur totius de auctore quartae Cononis fabulae disputationis si facimus, haec statuamus licet: Cononem, cum in parte narrationum Hegesippo Mecybernaeo auctore usum esse veri sit simillimum, quarta in narratione conscribenda eundem auctorem esse secutum eo magis fit probabile, quod res narrantur, quae sola in Pallena paeninsula ferri poterant, quas a Conone fictas esse non credimus. Quoniam vero Hegesippum, quem Mecybernae vel natum esse vel vixisse ex ipso cognomine facile colligimus, res, quae ad Chalcidicen et regiones prope sitas pertinent, expertissimas habuisse consentaneum est, quae de Rheso et Strymone a Conone tradita sunt, profecto levia putanda non sunt. In Photii vero excerpto haec habemus:

Ὄλυνθος. ἡ τοίνυν δ' διήγησις τὰ περὶ Ὀλύνθου τῆς πόλεως καὶ Στρυμόνος τοῦ Θρᾳκῶν βασιλεύσαντος ἀπαγγέλλει, οὗ καὶ ὁ πάλαι Ἠιονεὺς ποταμὸς ἐπώνυμος. καὶ ὅτι παῖδες αὐτῷ τρεῖς γεγόνασι, Βράγγας καὶ Ῥῆσσος καὶ Ὄλυνθος. καὶ Ῥῆσσος μὲν ἐπὶ Τροίαν Πριάμῳ συστρατεύσας ἀναιρεῖται χειρὶ Διομήδους. Ὄλυνθος δὲ λέοντι συστὰς ἑκουσίως ἔν τινι κυνηγεσίῳ θνήσκει. καὶ Βράγγας ὁ ἀδελφὸς πολλὰ κατολοφυρόμενος τὴν συμφορὰν Ὄλυνθον ᾧπερ ἐτελεύτησε τόπῳ θάπτει· εἰς Σιθονίαν δὲ ἀφικόμενος πόλιν ἔκτισεν εὐδαίμονα καὶ μεγάλην, Ὄλυνθον αὐτὴν ἀπὸ τοῦ παιδὸς ὀνομάσας.

Cum de Brangante aliis testimoniis nihil traditum sit, Olynthus ab aliis [2]) scriptoribus Herculis et Bolbes filius esse dicitur. Noli vero hanc ob rem de Cononis fide dubitare; nam Graecos, postquam Chalcidicen occupaverunt, Herculem urbis, quam ceperant, herois eponymi patrem esse narrasse, ut iure oppidum a Graecis teneri videretur, multo veri est similius, quam ut Hegesippum stemma gentile Olynthi suo arbitrio finxisse credamus[3]). Tota sane haec Cononis narratio speciem quandam prae se fert

---

[1]) Photii bibl. 186 p. 130 b 25 = F. Gr. Hist. I 190: *περιέχεται δ' αὐτῷ ἐκ πολλῶν ἀρχαίων συνειλεγμένα ν' διηγήματα . . . . Ἀττικὸς δὲ τὴν φράσιν ἐστί . . . .*

[2]) Hegesandrus ap. Athen. VIII 334. Steph. Byz. s. v. *Ὄλυνθος*.

[3]) Fabulam de Hercule Olynthi patre recentioribus temporibus ortam esse quam de Strymone eiusdem patre etiam Tuempel (P. W. III 669) et Baege (De Macedonum sacris, Diss. Hal. XXII 196 et 207) censuerunt.

atque colorem, ut fabulam iis locis, de quibus agit, viguisse iudices. Quare maximi videtur momenti hac quoque in fabula Rhesum ad Strymonem esse relatum, quem (Strymonem) regem Thracum dici non miramur, cuius cultum Amphipoli floruisse ex Amphipolitanorum anni a. Chr. n. 357/6 decreto [1]) discamus, quo Philonis et Stratoclis[2]), cum patria expelluntur, fortunarum publicandarum decima pars Apollini et Strymoni dedicatur[3]).

Quodsi — ut ad eam unde profecti sumus quaestionem revertamur — quarta Cononis narratio ex Hegesippi Palleniacis desumpta est, etiam illud *οὗ καὶ ὁ πάλαι Ἠιονεὺς ποταμὸς ἐπώνυμος* [4]) ad eundem auctorem referendum esse censeo, quod Cononem vel Photium e suo haurientes haec verba adiecisse improbabile duco, quia uterque aetate posterior erat, quam ut Strymonem olim Eioneum vocatum esse compertum haberet. Si vero ab Hegesippo auctore illo rerum ad regiones circa Chalcidicen sitas pertinentium peritissimo haec tradita sunt, dignissima sunt quae credantur.

Quod vero in Homerica Dolonia Rhesus filius Eionei dicitur, nonne auctori huius poematis regio ad Strymonis os sita nota esse potuit? Etenim Dolonia posterioribus demum temporibus scripta fere putatur eamque Wilamowitz [5]) aetati Archilochi quam antiquissimorum poetarum epicorum propiorem esse censet. Octavo autem et septimo a. Chr. n. saeculo cum colonias in omnes fere oras medii maris deducere coepissent[6]), Graecos iam, antequam colonias condiderunt, cum incolis illarum regionum mercaturam fecisse veri dissimile non est. Quoniam igitur Doloniae auctori regio circa os Strymonis sita nota esse poterat, hunc poetam, cum Rhesum filium Eionei diceret, illam ipsam

---

[1]) C. I. G. 2008 = Dittenberger Syll.^{3} 194.

[2]) quem cum Hierace auxilium contra Philippum ab Atheniensibus petivisse Demosthenes narrat I 8.

[3]) Plura de Strymonis cultu testimonia invenies apud Baege 166 ss.

[4]) Hunc locum ita verto: (Strymonis Thracum regis) cuius nomen etiam flumini, quod pridem Eioneus vocabatur, inditum est. Simili modo vox *ἐπώνυμος* usurpatur: Soph. Oed. Col. 65: *τοῖδε τοῦ θεοῦ ἐπώνυμοι.* Tabula Albana 86 ss. (F. Gr. Hist. I 262): *πόλιν τε Ἄβδηρα . . ᾤκισε . . ἐπώνυμον Ἀβδήρου.* Strab. XII 564: *Κίον . . αὐτόθι καταμεῖναι καὶ κτίσαι τὴν πόλιν ἐπώνυμον αὐτοῦ.*

[5]) Il. u. Hom. Berl. 1916, 64. — [6]) Pöhlmann, Grundr. gr. Gesch. München 1914 § 22.

regionem in animo habuisse mihi persuasum est, sive Rhesum Eionis urbis herois eponymi sive ipsius Strymonis filium putabat. Quod quamquam iis quae exposui non ita demonstratum esse non ignoro, ut nihil dubii relinquatur, tamen multo probabilius esse censeo, quam quod alii viri docti nullam rationem inter Eionei nomen in Dolonia commemoratum et Strymonem vel regionem circa hunc fluvium sitam intercessisse putant; praesertim cum Rhesum Strymonis accolis notum fuisse ex aliis quoque testimoniis satis certo cognoscamus.

Etenim Strabo quo loco [1]) in regione ultra Strymonem (i. e. in sinistra fluminis ripa) ad mare et prope Datum sita Odomantes Edones Bisaltas habitavisse narrat, Rhesum regem eorum[2]) factum esse[3]) commemorat. Hoc autem loco Homero[4]) auctore Strabonem usum esse mea quidem sententia non est quo demonstretur. Immo ex alio eum fonte hausisse veri multo similius esse mihi videtur neque tragoediam, quae Rhesus inscribitur, ei praesto fuisse credamus necesse est, quia nusquam in hac fabula Odomantes vel Edones vel Bisaltae commemorantur.

Iam vero Marsyas ille minor [5]) in libro *Μακεδονικῶν ἱστοριῶν*[6]) in colle quodam Amphipolitanorum in urbe sito in conspectu

[1]) VII 331, 36. — [2]) Gruppe (Gr. Myth. u. Rel. gesch. München 1906, 213, 19) errat, quod Rhesum tantummodo Bisaltarum regem fuisse contendit. Rectius Perdrizet (14, 3) iudicavit.

[3]) Hoc loco Strabo scribit: *Ὀδόμαντες καὶ Ἠδωνοὶ καὶ Βισάλται . . ἐν οἷς Ῥῆσος ἐβασίλευσε.* Ex illo *ἐν οἷς . . ἐβασίλευσε* ne concludas Rhesum non indigenam fuisse regem, cum alias verbum *βασιλεύω* cum genetivo coniungatur. Simili enim modo usurpant: Xen. Cyr. V 4: *πρὸς Καμβύσην τὸν . . ἔχοντα καὶ βασιλεύοντα ἐν Πέρσαις.* Plat. respubl. 473 C: *ἐὰν οἱ φιλόσοφοι βασιλεύσωσιν ἐν ταῖς πόλεσι.* Illud vero quaeramus licet aoristusne *ἐβασίλευσε* ingressivi modo hoc loco sit usurpatus (de hac re v. Steph. Thes. ling. Gr. II 168).

[4]) Hoc ita intellegi volo, ut Strabonem non Doloniae quem commemoravi (K 435) locum secutum hoc narravisse existimem. Nam fieri sane potuit, ut Strabo carminis quod interiit locum secutus haec de Rheso tradiderit. Quod si factum est, sententia mea magis probatur quam redarguitur.

[5]) de cuius aetate Ritschl (opp. I 452) hoc tulit iudicium: „Marsyas autem Philippensis, Herculis sacerdos, primum commemoratus circa Vespasiani, Traiani Hadrianique tempora, etsi quanto post Pellaeum vixerit non constat, tamen haud cunctanter ad posterioris aetatis ea tempora referendus est, quibus in multiplicem variae eruditionis tractationem subtilemque commentandi exilitatem vetus et antiqua litterarum simplicitas verterat."

[6]) hunc contextum verborum restituit E. Schwartz in schol. Euripid. edit. Berolini 1887 et 1891.

sepulcri Rhesi Clius templum fuisse tradiderat[1]). Quem et templum et sepulcrum, de quibus verba facit, vel ipsum vidisse vel certum fideque dignum auctorem secutum esse nihil est, cur non credamus. Atque cum Polyaenus[2]) Hagnonem Atheniensem cum coloniam in regionem, quae usque ad id temporis *Ἐννέα ὁδοί*[3]) postea Amphipolis nominata esset, deducturus esset, iussu oraculi, cuius ipsa verba afferuntur, ossa Rhesi eo transportanda curavisse et hoc modo susceptum feliciter perfecisse tradiderit, nonnulli viri docti, ut Perdrizet[4]) et Leaf[5]) et Robert[6]), illud Rhesi sepulcrum, quod Marsyas commemorat, ab Hagnone exstructum vel Rhesi cultum Amphipolitanum tunc institutum esse censuerunt[7]). Sed priusquam his sententiis astipulemur, verane sint quae Polyaenus tradidit, diligenter erit examinandum.

Quem auctorem omnino fide non valde dignum esse et rhetoris magis modo quam hominis in historia diligenter versantis res tractasse cum inter omnes fere constat[8]), tum ab iis ipsis, qui hanc historiam veram putaverunt, conceditur[9]). Quodsi Thucydides, dux et princeps virorum historiam accurate et subtiliter perscrutantium, qui, cum et eadem aetate, qua res de quibus agitur gestae sunt, floruerit et ipse in regione circa Amphipolim sita bona habuerit[10]) et anno a. Chr. n. 424 classi Atheniensium in eadem regione versanti praefuerit[11]) (tum cum Eionem expugnare Brasidam prohibuit), quin expertissimas res Amphipolitanas habuerit et verum dicere voluerit, nemo sit qui dubitet, Athenienses Amphipolim conditurос Eione esse profectos tradidit[12]), Polyaenus vero Hagnonem, cum barbari Strymonem transire eum prohibuissent, indutias trium dierum pactum flumine noctu transito ossa Rhesi in sepulcro posita munimentis circumdedisse narravit atque barbaris post tres dies reversis

[1]) schol. Rhes. 346: . . *ἐστιν ἱερὸν τῆς Κλειοῦς ἐν Ἀμφιπόλει ἱδρυθὲν ἀπέναντι τοῦ Ῥήσου μνημείου ἐπὶ λόφου τινός.*

[2]) Strateg. VI 53. — [3]) de hoc nomine v. infra 41, 7. — [4]) 15. — [5]) 7.

[6]) Gr. Myth. II 1172 s. —

[7]) Alii vv. dd. etiamsi hoc non contenderunt, tamen quae Polyaenus narrat vera putaverunt, ut Rohde (Psyche I 161, 1) et Porter (XXIII).

[8]) Münscher, Xenophon in der griech.-röm. Lit. Philologus Suppl. XIII 1920, 136 s. Christ-Schmid, Gr. Lit. II[6] 754.

[9]) Rohde, Psyche. I 161, 2. Leaf 7.

[10]) Marcellinus vita Thucyd. 19 s. cf. Busolt III 620.

[11]) Thuc. IV 104. Busolt III 1145; 1153. — [12]) IV 102.

indutias violatas quaerentibus respondisse se de tribus diebus, nihil de noctibus esse pactum, primum illud consideremus necesse est: Atheniensibus Eione profectis — quod factum esse e Thucydide discimus, quem verum tradidisse inde elucet, quod Athenienses Eione, quod oppidum ἐμπόριον tenebant, profectos esse consentaneum est — flumen transeundum non fuisse[1]), ut hac iam re efficiatur Polyaenum auctore esse usum, qui has res vix recte exploratas habuerit, deinde — ne silentio Thucydidis unico argumento usus Polyaeni opinionem spernere videar — barbaros cum exercitu eius civitatis, cuius decem milia militum 29 ante annis deleverant[2]), statim post adventum indutias fecisse nullam aliam ob causam, quam ut iis occasio daretur ossa Rhesi chlamyde purpurea caute involuta flumen transgressis in sepulcro condendi et hoc monumentum munimentis firmandi, post indutias factas extemplo abisse, post tres dies redisse spectaturos quid hostes agerent, haec omnia tantopere ab omni probabilitate abhorrere mihi videntur, ut vix credi possint, praesertim cum eo consilio ficta esse videantur, ut illo Thracum invento, quo Thraces Graecos fefellisse Strabo[3]) et Polyaenus[4]) alio loco narraverunt, Thraces ipsos deceptos esse ostendatur, id quod Hiller de Gaertringen[5]) sagacissime est suspicatus. Itaque de hac Polyaeni narratione haec statuenda esse mihi videntur: commentum est aetiologicum quod dicitur, dupplici de causa fictum. Primum enim, cur urbs Amphipolis sit nominata, hac narratiuncula explicatur, qua de re Melberi[6]) sententia propter ambiguitatem pacti urbi nomen Amphipolis esse inditum adeo non arridet, ut potius quam Wünsch[7]) protulit sententia probanda mihi videatur: Amphipolim esse urbem circa Rhesi sepulcrum aedificatam. (Rectam vero de Amphipolis nomine sententiam Thucydides[8]) tulit.) Deinde, cur in hac urbe Rhesi sepulcrum positum sit, explicatur, quem Troiae esse sepultum Graecos putavisse consentaneum est[9]), cum prope urbem Troiam

[1]) cf. Melber Jb. f. kl. Philol. Suppl. XIV 1885, 598 s.

[2]) Thuc. IV 102. cf. Beloch, Gr. G. II 2², 193. — [3]) IX 401/2.

[4]) VII 43, Ephoro auctore usus (Hiller de G. 53).

[5]) 82, cf. 53 de Thracum invento.

[6]) 598. — [7]) apud Pfisterum, Der Reliquienkult im Altertum. I = Relig. gesch. Vers. u. Vorarb. V 1. Gießen 1909, 198, 730. — [8]) IV 102.

[9]) cf. Pepl. Aristot. 56 Diehl: *Ὕπνῳ καὶ καμάτῳ δεδμημένον ἐνθάδε Ῥῆσον / Τρῶες δὴ θάψαν Τευκρίδος αἰγιαλῷ.* De peplo cf. Christ-Schmid I⁶ 762.

a Diomede eum necatum esse in Dolonia traditum esset. Graeci igitur Amphipoli Rhesi sepulcrum exstructum esse mirati hanc excogitaverunt rationem, ut eius ossa ab Hagnone, quem conditorem esse urbis Amphipolitanorum e Thucydide vel aliis ex scriptoribus vel ipsis ab Amphipolitanis cognoscere licebat, Amphipolim traducta esse opinarentur[1]). Similia enim de aliis heroibus cum saepius narrarentur[2]), Polyaenus, cur incredibile illud esse putaret, non habebat, quin ut ossa Rhesi revera traducta esse putaret, fieri facile potuit. Cum igitur ea, quae Polyaenus narratione 56 libri sexti tradit, fide digna non esse videantur, merito et Busolt[3]) et Hirschfeld[4]) et Beloch[5]) de Amphipoli condita cum verba facerent, improbata hac historia Thucydide[6]) et Diodoro[7]) auctoribus usi sunt. Igitur Polyaeni testimonio id tantum, quod ex Marsya iam cognitum erat, efficitur vel probatur: Amphipoli etiam posterioribus temporibus Rhesi sepulcrum exstitisse.

Quod postquam ab Atheniensibus in condenda urbe[8]) exstructum non esse cognovimus, utrum omnino a Thracibus an a Graecis aedificatum sit, iam circumspiciamus. Atque cum ex adverso Clius templi situm fuerit, Clio vero Graecorum dea putanda sit, a Graecis utrumque opus, et templum et sepulcrum, exstructum esse fortasse suspiceris. Sed quod de Clius templo infra[9]) verba faciemus, id tantum hoc loco statuere sat esto: Etiamsi Graeci Rhesi sepulcrum exstruxissent, tamen eum iam incolis Thraciis notum fuisse putemus necesse est; nam Graecos suopte ingenio rationem inter Rhesum et Amphipolim intercedentem invenisse cum per se tum ob illam ipsam causam veri est dissimillimum, quod hunc heroem ad regionem Amphipolitanam primitus referendum esse ex aliis testimoniis supra cognovimus. Ergo respectis omnibus de quibus supra dictum est locis hoc licet statuamus: Rhesus Thrax ingenuus atque vernaculus heros fuit ipsorum Thracum Amphipolim habitantium.

[1]) Item Pfister (198) de hac re iudicat.

[2]) cf. de Thesei ossibus Athenas translatis Plut. Cim. 8, de Melanippi Thebis Sicyonem Herod. V 67. Pfister (198 et 211) etiam harum historiarum fidem in dubium vocavit.

[3]) III 559. — [4]) P. W. I 1950. — [5]) II 1², 198. — [6]) IV 102. — [7]) XII 32, 3.

[8]) Posterioribus vero temporibus Athenienses hoc fecisse iam ea de causa probabile non est, quia nunquam postea iis contigit, ut Amphipolim sub potestatem suam redigerent. v. Hirschfeld P. W. I 1951. — [9]) 40 s.

Cuius memoria quibus aliis locis viguerit, iam circumspiciendum est. Atque Hipponax[1]):

„ἐπ᾽ ἁρμάτων“, inquit, „τε καὶ Θρηϊκίων πώλων
λευκῶν ⟨συθεὶς⟩ κάτεγγυς Ἰλίου πύργων
ἀπηναρίσθη Ῥῆσος, Αἰνειῶν πάλμυς.“

Quo loco ten Brink[2]) pro *Αἰνειῶν* *Αἰνίων* scribendum esse affirmavit compluribus locis allatis, quibus *Αἰνίους* Aeni urbis incolas vocatos esse traditum est; qui vir doctus afferre omisit illum Stephani Byzantii[3]) locum, quo de Aenia urbe traditur: „*τὸ ἐθνικὸν Αἰνειεύς*“, ut Hipponactem, cum „*Αἰνειῶν πάλμυς*“ diceret, Aeniam significasse efficeretur, si scribas in accentibus et in litteris „*ι*“ et „*ει*“ distinguendis satis diligentes fuisse expertum haberemus. Itaque Hipponax utrum Aeniae an Aeni incolarum ducem Rhesum esse intellegi voluerit, incertum[4]) est. Quarum urbium illa sita erat in sinu Thermaico. Strabo[5]) enim Thessalonicam a Cassandro conditam esse narrat coniunctis oppidis viginti sex, in quibus erant Apollonia, Therma, Chalastra, Garescus, Aenia, Cius; Aenus vero sita erat ad os Hebri[6]). Quod Leaf[7]) ad Aenum Hipponactem respexisse contendit et ad probandam hanc sententiam Servium[8]) attulit, qui „Rhesus“, inquit, „rex Thraciae fuit, ut quidam Martis, ut alii Hebri vel Strymonis vel Euterpae Musae filius“, Servius, cum a nonnullis patrem Rhesi tradi diceret Hebrum, ipsum Hipponactem auctorem fortasse respexit, ut hac re Hipponactem Aenum significasse exploratum non sit. Quoquo vero modo res se habet, constat ab Hipponacte poeta Rhesum Thracem esse existimatum, regem urbis vel gentis[9]) Thraciae.

Iam vero Parthenius[10]) Rhesum, qui, antequam Troiam venerit, per multas terras vagaretur, ut eas sub potestatem suam redigeret et populis tributa imponeret, Cium venisse narrat ad Arganthonen feminam pulcherrimam, cui venationes in deliciis

---

[1]) fr. 41 Diehl. — [2]) Philologus VI 1851, 39. — [3]) s. v. *Αἴνεια*.
[4]) Jessen (Ro. IV 108, 48 ss.) et Sittig (P. W. I A 629, 6) idem sentiunt.
[5]) VII 329, 21 et 24.
[6]) Strab. VII 331, 52. — [7]) 1. — [8]) ad Verg. Aen. I 469.
[9]) Kretschmer (185 s.) inter gentem regum Aeneadum (Y 302. hymn. Hom. in Ven. 196) et nomina *Αἴνεια* et *Αἶνος* rationem fortasse intercessisse suspicatus est. De Aenea vero Aeniae culto cf. Baege 203 s. — [10]) *ἐρωτ. παθ.* 36.

essent. Quam Rhesi vehementissimo amore captam cum eo matrimonium inisse, sed postea frustra eum impedire conatam esse, ne Troiam proficisceretur. Ubi eum necatum esse a Diomede in flumine, cui Rhesi nomen inditum sit, Arganthonen vero, de eius morte certiorem factam, ad eum locum, quo cum eo primum concubuisset, reversam maestissimam vagantem nomen Rhesi identidem exclamavisse et postremo cibo potuque spretis esse mortuam.

Cum narrationi 35 in margine codicis Palatini adscriptum sit: „*Ἱστορεῖ Ἀσκληπιάδης ὁ Μυρλεανὸς Βιθυνιακῶν α᾽*“, Sakolowski[1]) vero ad fabulam 36 hanc adnotationem esse referendam demonstraverit, eam ex celeberrimi illius secundi vel primi a. Chr. n. saeculi critici[2]) libro desumptam esse apparet, cum illi auctorum indiculi, etiamsi non ad ipsum Parthenium referendi sunt, quod Bethe[3]) censuit, tamen a viro docto litterarum veterum peritissimo adiecti ideoque fide digni[4]) sint. Asclepiadem vero hanc fabulam poetam aliquem Alexandrinae, ni fallor, aetatis secutum narravisse verisimile est.

Quod vero ad ipsum argumentum attinet Arganthone[5]) quin ad eiusdem nominis montem prope Cium situm[6]) referenda sit, vix quisquam dubitabit, Rhesum vero utrum poeta aliquis suopte nisus ingenio cum Arganthona heroide copulaverit, an gens aliqua ex Europa in Asiam transgressa in Bithyniam eius memoriam transtulerit, quaestio exoritur satis difficilis, ad quam diiudicandam de ratione inter Thraciae et Asiae septentrionalis incolas intercedente pauca disputare e re erit.

Nam cum a scriptoribus quinti et quarti a. Chr. n. saeculi Bithyni saepe *Θρᾷκες* vel *Θρᾷκες οἱ ἐν Ἀσίᾳ* appellentur[7]), E. Meyer[7]) eos linguam et mores Thracum diu servavisse rectissime contendit. Ipsam enim Bithynorum gentem Thraciam ex Europa in Asiam transgressam esse nobis traditum est. Herodotus[8])

---

[1]) in editione Parthenii, Lipsiae 1896, proleg. XXV, cui Martini (in edit. Lips. 1902 p. 89 ad narrat. 35) assensus est.
[2]) cf. Christ-Schmid II[6] 430. — [3]) Hermes XXXVIII 1903, 608—617.
[4]) Rohde, Gr. Rom. Leipzig 1900, 123 ss. Susemihl, Gesch. gr. Litt. d. Alex. Zeit I. Leipzig 1891, 195, 2.
[5]) hanc venatricem cum Hyla conferendam esse Knaack censuit. G. G. A. 1896, 868. — [6]) Strab. XII 564.
[7]) Thuc. IV 75. Xen. Hell. I 3, 2; An. VI 2, 17; VI 4, 1. Scyl. peripl. 92. Ephor. ap. Diod. XIV 38. cf. E. Meyer P. W. III 510. [8]) VII 75.

quidem Bithynos Thracios olim regionem circa Strymonem sitam coluisse et ideo Strymonios vocatos esse tradit, quos expulsos esse a Teucris et Mysis, qui ante bellum Troicum Bosporum transgressi omnes Thracum gentes usque ad mare Ionium subegissent[1]), idem [2]) duos iuvenes Paeones interrogatos a Xerxe, ubi esset Paeonia, respondentes facit Paeoniam ad Strymonem esse sitam, Paeones vero colonos (ἀποίκους) esse Teucrorum, qui Troiam habitent. Neque vero Teucros neque Mysos, sed Paeones riparum Strymonis accolas sedibus expulisse Tomaschek [3]) eo demonstravit, quod communem expeditionem Teucrorum et Mysorum ex Asia in Europam fieri non potuisse docuit; nam Mysos e regionibus septentrionalibus in Asiam transgressos Troadem occupavisse[4]), Teucros autem e Cypro in Asiam demigrasse[5]) verisimile est. Herodotum igitur, quod Teucros et Mysos ex Asia in Europam transgressos esse putaret, erravisse cum Thraemer [6]), tum Tomaschek[7]) et Kretschmer[8]) cognoverunt, quorum sententiam secutus est Macan[9]). In Bithynia igitur sedes habuerunt Thraces, qui antea in Thracia prope Strymonem habitaverant. Atque quod Arrianus [10]) Thraces isdem temporibus ex Europa in Asiam transgressos esse tradidit, quibus Cimmerii Asiam invassissent[11]), quod septimo a. Chr. n. saeculo factum est, Kretschmer[12]) et E. Meyer[13]) accipiendum esse censuerunt.

Sed iam ante Cimmeriorum et Bithynorum migrationes gentes Thracias vel Thraco-Phrygias[14]) in Asiam transisse constat. In Bithynia enim quae postea nominata est prope Bosporum Bebryces habitaverunt[15]), quorum alii circa Lampsacum, alii circa Ephesum et Magnesiam sedes habuerunt[16]), Mygdones vero inter Dascylium et Myrleam, Doliones[17]) inter Rhyndacum

---

[1]) VII 20. [2]) V 13, 2. [3]) I 16.

[4]) cf. Strab. VII 295, 2. Tom. I 5 s. 47 ss. Kretschmer 211, 391 s. Thraemer, Pergamos, Leipzig 1888, 338. [5]) Kretschmer 190. [6]) 324 s. 338.

[7]) 47. [8]) 173 et 211.

[9]) Herodotus. The VII VIII IX books with introduct. text, apparatus commentary . . . vol. I part I London 1908, ad VII 20.

[10]) fr. 37 Müller F. H. G. III 593. [11]) de Cimmeriis cf. Lehmann-Haupt P. W. XI 397 ss. [12]) 211. [13]) G. A. I 2 [3] p. 489.

[14]) Thraces et Phryges quin proxima necessitudine coniuncti fuerint, non est dubium. cf. Kretschmer 173 s. Hirt, Indogermanen I, Straßburg 1905, 132.

[15]) Tom. I 35. E. Meyer P. W. III 510. [16]) Tom. I 34. [17]) Tom. I 35.

et Aesepum, quorum heros Dolion ad Ascanium lacum habitavisse traditur[1]). Edonum vero pars, ut Aristoteles[2]) tradiderat, Antandrum ante Cimmeriorum migrationem tenuit. Quarum gentium quibus temporibus unaquaeque in Asiam transgressa sit, etsi nescimus, tamen non est dubium, quin omnino ex Europa in Asiam transierint. Totam enim Phrygum gentem ex Europa in Asiam demigrasse constat[3]), ut in universum haec statui[4]) possint: Ab Illyriis, qui tertio decimo a. Chr. n. saeculo meridiem versus progredi coeperunt, gentes Phrygiae (vel Thraco-Phrygiae) pulsae in Asiam demigrandi initium fecerunt. Temporibus quae sequuntur spatiis nescio quantis intermissis[5]) gentes Phrygo-Thraciae subsecutae sunt[6]). Verum inter Phrygum et Bithynorum migrationes Mysos transisse statuamus licet[7]). Thynorum vero et Bithynorum in Asiam commigratio extremus quasi actus huius migrationum dramatis videtur fuisse.

Quodsi populos Phrygo-Thracios per multa saecula ex Europa in Asiam transgressos esse constat, Rhesi memoriam, quam in ipso Strymonis valle, unde illorum populorum plerique profecti sunt, viguisse supra [8]) cognovimus, ab his ipsis populis in Asiam translatam esse veri non videbitur dissimile. Quae ratio probatur vestigiis Rhesi, quae ipso in itinere, quo illi populi transierunt, reperimus. Nam Byzantii locus erat nomine Ῥήσιον insignitus, ubi sua aetate sancti Theodosii τέμενος fuisse Procopius [9]) narrat, et, ut Preger [10]) demonstrare conatus est, πόρτα Ῥησίου. Ioannes vero Antiochenus[11]) et Suidas[12]) Rhesum Byzantii in Rhesio qui cognominatus esset loco habitavisse tradiderunt, et Suidas eum ducem fuisse Byzantinorum Troumque socium Troiae a Diomede et Ulixe necatum esse adiecit. Illud vero Ῥήσιον ad Rhesum esse referendum et cum migrationibus populi Thracii, cuius heros indigena Rhesus erat, ab Europa in Asiam

---

[1]) Strab. XIV 681. — [2]) ap. Steph. Byz. s. v. Ἄντανδρος. cf. Tom. I 39.

[3]) cf. Herod. VII 73. Strab. VII 330, 25; 295, 2. Tom. I 4; 28 ss. Kretschmer 173. Hirt I 132. E. Meyer, G. A. I 2 [3] § 473.

[4]) cf. Patsch Ö. J. h. 1907, 174. U. Wilcken, Gr. Gesch. München u. Berlin 1924, 37. — [5]) cf. Kretschmer 187. — [6]) cf. Tom. I 47.

[7]) Xanthus (ap. Strab. XIV 680) Phryges post Troica ex Europa et a sinistra parte Ponti transgressos esse tradiderat. cf. Thraemer 294. Kretschmer 186. Tom. I 47. — [8]) 15.

[9]) de aed. I 4, 28. — [10]) Byz. Zeitschr. XIV 1905, 274 et adn. 1.

[11]) fr. 24, 6. F. H. G. IV 551. — [12]) s. v. Ῥῆσος.

factis bene convenire — id quod nonnulli viri docti censuerunt[1]) — mihi quoque probatur. Atque ad eandem rationem attinet, quod Plinius[2]) Rhebantem fluvium in Bosporum influentem a nonnullis Rhesum vocatum esse tradidit, quocum Solinus[3]) concinit, qui haec habet: „In ora Pontica post Bospori fauces et Rhesum amnem Sagaris fluvius exordium facit."

Alter vero fluvius Rhesi nomine insignitus in Troade erat. Homerus[4]) enim in enumerandis quae ab Ida monte oriuntur fluminibus: „*Ῥῆσος θ' Ἑπτάπορός τε,*" inquit, „*Κάρησός τε Ῥοδίος τε | Γρήνικός τε καὶ Αἴσηπος δῖός τε Σκάμανδρος | καὶ Σιμόεις* . . . Quamquam quem fluvium Homerus Rhesum dixerit, posterioris aetatis scriptores parum expertum habuisse videntur[5]), fluvium, qui a sinistro latere in Granicum influit, ab Homero significari veri est simillimum, et temporibus auctoris duodecimi Iliadis libri in Troade fuisse flumen Rhesi nomine ornatum apertum[6]) est.

Hunc vero Troadis fluvium Robert[7]) vetustissimum et solum ut ita dicam nativum Rhesi vestigium esse aestimat. Quare Rhesum re vera non Thracem esse, sed Troianum, quem deum fluvialem — quare haud inepte virum orarium (*ἠιονέα*) patrem eius dictum esse — amore nymphae montis Arganthonae accensum, cum vicinorum terras cum copiis — quoniam ipsius Troadis rex fortasse putaretur — peragraret, Cium venisse. Apud Parthenium igitur vetustam quandam fabulam certo olim loco pervulgatam exstare, verum ad ea, quae in Iliade exhibeantur, sane accomodatam. At primum quidem quamquam Rhesus fluminis Troadis heros est eponymus, hac re eum primitus non Thracem, sed Troianum esse quomodo probatur? Nam quin Thraces, quorum partem ex Europa eo venisse constat[8]), hunc fluvium ita appellaverint, quid obstat? Deinde illud Rhesi patris nomen *Ἠιονέα* ad Strymonem, ni fallimur, revocandum esse supra[9]) cognovimus. Denique Rhesum ipsum ad regionem circa

---

[1]) Hiller de Gaertringen 83. Sittig P. W. I A 629. — [2]) nat. V 124.

[3]) 43, 1, ut Robert (Gr. Myth. II 1169, 8) monet, Plinium Solinus secutus est. [4]) M 20. cf. Hes. Th. 340. Nonnus III 193.

[5]) Demetr. Sceps. ap. Strab. XIII 602, 44: *ὁ μὲν Ῥῆσος ποταμὸς νῦν καλεῖται Ῥοείτης, εἰ μὴ ὁ εἰς τὸν Γράνικον ἐμβάλλων Ῥῆσός ἐστιν.* Eustath. ad Il. 890, 6; 889, 58. Plin. nat. V 124, ad quem locum v. Sittig 629, 39.

[6]) cf. Kiepert, Atlas antiquus V C h; Sittig 629. — [7]) Gr. Myth. II 1169 s.

[8]) Strab. XIII 586. Kretschmer 187. — [9]) 11 s.

Strymonem sitam primitus relatum esse iis, quae supra exposita sunt, demonstratum est.

Hac vero in parte disputationis etiam illius loci Appianei[1]) mentionem faciamus necesse est, quo haec traduntur: secundum Graecorum opinionem Thraces cum Rheso ad bellum Troicum profectos ipso duce noctu a Diomede necato ad Bosporum fugisse, quorum alteram partem naves non nactam Bebrycum terra potitam esse, alteram Byzantium et in Thraciam transgressam in Bithynorum qui vocarentur finibus ad Bithyam flumen consedisse, fame vero coactam in Bebryciam inde revertisse[2]) eamque terram a flumine, ad quod antea habitavissent, Bithyniam vocavisse, nisi nomen forte mutatum sit, cum inter Bithyniae et Bebryciae nomen paulum intersit. Alios vero putare Bithyae, Iovis et Thraciae filii, primi eorum regis, nomen utrique terrae inditum esse. Cum hac Appiani narratione Thraemer[3]) optimo iure scholium contulit ad illum Homeri locum[4]) adscriptum, quo de Iove dicitur:

αὐτὸς δὲ πάλιν τρέπεν ὄσσε φαεινώ,
νόσφιν ἐφ' ἱπποπόλων Θρῃκῶν καθορώμενος αἶαν
Μυσῶν τ' ἀγχεμάχων καὶ ἀγαύων Ἱππημόλγων
γλακτοφάγων, Ἀβίων τε, δικαιοτάτων ἀνθρώπων.

Quo in scholio[5]), quod ex Porphyrio esse desumptum ex addito illo *Πορφυρίου* apparet, fieri non potuisse declaratur, ut Iuppiter Troia in Mysiam Asiaticam oculis prospiciens Thraciam in Europa sitam conspiceret. Solvi vero hanc repugnantiam sermonis ratione habita, neque enim Thraciam Iovem conspicere poetam dicere, sed Thracum terram, e qua profecti Bithyni atque Thyni Asiam habitent. Atque Porphyrium, illum Plotini discipulum, grammaticum aliquem secutum, qui, cum antiquissimis temporibus Mysos in Europa isdem habitavisse locis, quibus Moesi usque ad Romanorum tempora remanserunt, nesciret, hanc excogitavisset rationem, ut Bithynos, qui post Homeri demum tempora in Bithyniam venissent, hoc loco dici putaret, in libris, qui inscribebantur *Ὁμηρικὰ ζητήματα*, haec exhibuisse Thraemer[3]) suo iure statuit. Qui vir doctus ad eundem *λυτικόν*,

---

[1]) Mithrid. 1. — [2]) Cum ceteri qui in hac narratione commemorantur loci magni aestimandi non videantur, hac una in parte recta de Bithynis ex Europa in Asiam transgressis memoria servata esse videtur.

[3]) 311 ss. — [4]) N 3 ss. — [5]) schol. B ad N 3.

ut illum Porphyrii auctorem recte appellavit, illa quoque revocavit, quae in alio scholio Homerico [1]) de tribus Thracum exercitibus narrantur: Acamantem incolarum regionis circa Maroniam urbem sitae, Iphidamantem aliorum, Rhesum τῶν περὶ Λυδίαν fuisse ducem, quo loco Schraderi [2]) illa coniectura περὶ τὸν Λυδίαν improbata τῶν περὶ Θυνίαν scribendum esse Thraemer recte conicit. Atque ad eundem hunc λυτικόν, Porphyrii auctorem, illam de qua agitur Appiani de Rheso narrationem revocandam esse cum Thraemero virisimile duco.

Cum igitur rationem inter Rhesi Thraces et Bithynos ex Europa in Asiam transgressos a grammatico aliquo inventam esse verisimile sit, ne illud quidem magni momenti esse puto, quod Parthenius Rhesum Arganthones amatorem Cio ad bellum Troicum profectum ad fluvium sibi cognominem occisum esse narravit. Cum enim Rhesus Arganthonen amavisse circa Cium ferretur, eumque a Diomede necatum et flumen eiusdem nominis in Troade fuisse ex Homero discere liceret, nihil fere facilius erat inventu, quam Rhesum, Cio Troiam cum venisset, ibi ad Rhesum flumen necatum esse. Quod vero Parthenius Rhesum multas per terras vagantem populisque tributa imperantem Cium venisse narrat, hac re migrationes Thracii populi Rhesum colentis significari non prorsus est improbabile. Matrimonio vero Rhesi cum Arganthone inito Phrygias vel Thracias gentes cum Mysis se miscuisse significari fortasse non ineptum est suspicari [3]).

Atque si quaeramus, a quo populo et quibus temporibus Rhesi memoria in Asiam perlata sit, certi quicquam de hac re dici sane non potest, quia, quibus temporibus et unde profectae singulae gentes Thraco-Phrygiae in Asiam transgressae sint, non satis exploratum est. Si vero aliquid conicere licet, in Troadem Rhesus ante duodecimi Iliadis libri auctoris aetatem et ante Cimmeriorum invasionem ab Edonibus vel a gente cum Edonibus arta necessitudine coniuncta transferri facile potuit,

---

[1]) schol B ad B 844. — [2]) Porphyrii quaest. Hom. ad Il. pertinent. rel. ed. H. Schrader, Lipsiae I. 1880, 50.

[3]) Quod Mysum et Bithynum Arganthones fuisse filios Arrianus tradiderat (fr. 40. F. H. G. III 594) ad necessitudinem, quae erat inter Mysos et Bithynos referre licet. Ceterum hos filios Arganthonen e Rheso concepisse nusquam traditum est.

praesertim cum apud huius gentis eam partem, quae ad Strymonem habitabat vel remanserat, Rhesi memoriam viguisse supra [1]) cognoverimus. Quod vero ad Rhesi memoriam in Bithynia vigentem attinet, ante Bithynorum migrationem Mysi Cium tenuerunt [2]), quos post Phryges in Asiam transisse verisimile [3]) est. Utrum igitur gentes Phrygo-Thraciae, ut Bebryces vel Doliones vel Mygdones, an, quorum primo loco in mentem veniat, Bithyni Rhesum transtulerint, diiudicari vix potest, quamquam Bithynos hoc fecisse veri similius duco, quia in Parthenii narratione Arganthone herois ante Rhesum Cii versatur [4]), quod quidem argumentum ea tantum condicione aliquid valet, si Arganthonen Mysiae originis fuisse sumimus. Praeterea vero Herodotus [5]) Bithynos e Strymonis valle, ubi Rhesus indigena erat, profectos esse disertis verbis tradidit.

Atque Philostratus [6]) Rhesum, quem Troiae Diomedes necavisset, Rhodopen montem colere ibique multa de eo mirabilia narrari memoriae prodidit, veluti equos eum alere et gravi armatura indutum bestias venari; venatorem eum esse ea re probari, quod animalia sua sponte ad eius aram adeant et immolanda se praebeant; eundum pestilentiam a Rhodope monte prohibere ac defendere. Quoniam vero heroici auctorem heroum cultum, qualis sua ipsius florere coeperat aetate, augere atque amplificare conatum esse inter viros doctos constat [7]), utrum quae de Rheso narrat digna sint quae spectentur necne, diligentius examinandum videtur.

Qua in re id primum non neglegendum est: de Rheso heroe una cum aliis heroibus in heroico agi, de quibus fide digna a Philostrato narrata esse demonstrari potest. Nam Amphiaraum terra devoratum oracula edidisse narrat, quod multis aliis

---

[1]) 12; 15. — [2]) Sölch, Klio 19 (1925) 149. — [3]) cf. Tom. I 47.

[4]) Mysos vero ante Bithynos Cium tenuisse constat (Sölch 149).

[5]) VIII 75. — [6]) Heroic. 149 (Kayser), quem librum a Philostrato III Lemnio scriptum esse Münscher docuit Philol. Suppl. X 1907, 497 ss. 508, 557.

[7]) Schmid, Attizismus IV Stuttgart 1896, 497 ss. 571. Münscher 502. Grentrup, De heroici Philostratei fabularum fontibus. Diss. Monasterii 1914, 8. Christ-Schmid II [6] 778. Katzii vero de Philostrati heroico iudicium (Primitiae Czernovicienses 1909, 118) a Friedricho (W. kl. Ph. 1914, 794) et a Münschero (Bu. Jb. 170, 135) et a Grentrupio (8) summo iure probatum non est.

locis[1]) confirmatur, neque minus pervolgatum erat Amphilochum post Troiam captam compluribus locis in Asiae ora sitis oracula condidisse[2]), quorum celeberrimum erat Malli[3]), quod Philostratum hoc loco significavisse recte fortasse suspiceris, et Maronem illum heroem dulcis vini celeberrimum re vera Maroniam referendum esse multa exstant testimonia[4]).

Cum autem in Philostrati de Rheso narratione illa verba *λέγεται οἰκεῖν*[5]) . . . *πολλὰ αὐτοῦ θαύματα ᾄδουσιν*[6]) . . . *γάρ φασι*[7]) ad nullius regionis nisi Rhodopes montis incolas referri possint, auctor has res narravisse videtur fabulam secutus, quae in illis regionibus pervolgata erat. Quod ea re confirmatur, quod vinitor ille Philostratei heroici oratione obliqua dicere pergit[8]) *σημεῖον δὲ εἶναι.* Quae vero columna 17 ss. iterato illo *λέγεται* narrantur quin nusquam nisi in Rhodope monte ferri potuerint, vix erit qui dubitet. Quodsi prima persona paulo post[9]) vinitor — vinitoris vero ore Philostratum ipsum locutum esse Münscher[10]) docuit — utitur *ἡγοίμεθα καὶ θύοιμεν*, inde efficere fortasse licet Philostratum loca, de quibus hoc loco loquitur, ipsum adisse[11]) et, quae ipse ab incolis audiverit, narrasse.

Qua in re saepiusne Philostratus e fabulis popularibus hauserit, quaestio oboritur. Atque Henricus Grentrup unum protulit locum[12]), quo Philostratus se fabulas sequi populares conconfiteatur. Sed vix minus clare alio loco[13]) fabula populari eum usum esse cognoscimus, ubi haec exstant: *γιγνώσκειν δὲ ὑπάρχει ταῦτα καὶ παρὰ τῶν βουκόλων καὶ πάντων τῶν οἰκούντων τὸ Ἴλιον.* Neque praetermittam in hac quoque fabula populari simili modo atque in narratione de Rheso prolata complura inveniri verba dicendi, ut 155, 1 *λέγεται*; 5 *ξυμβάλλονται δέ*; 10 *καὶ γάρ τι καὶ . . . περὶ Ἀντιλόχου ᾄδουσιν.* Indicia vero, quibus plus minus certo

---

[1]) ad Philostr. her. 148, 31 cf. locos, quos O. Wolff ap. Ro. I 298, 20 ss. collegit. — [2]) Stoll ap. Ro. I 305, 47 ss. — [3]) Paus. I 34, 2. Stoll Ro. I 306, 14 ss.

[4]) *ι* 197 ss. Eur. Cycl. 141; 412. In nummo aliquo Maroniae reperto *ΜΑΡΩΝΟΣ* et in lapide aliquo *ἱερεὺς . . Διονύσου καὶ Μάρωνος* (cf. Eckhel, Doctr. num. Vindobonae 1839² II 34 et Reinach, Bull. corr. hell. V 1881, 94, 17) legitur, quare Schirmer (Ro II 2383, 40 ss.) et Rothstein (ad Propert. II 34, 14 Berlin 1920) Maronem Maroniae cultum esse iure conclusisse videntur.

[5]) 149, 9. — [6]) 149, 10. — [7]) 149, 11. — [8]) 149, 12. — [9]) 149, 24. — [10]) 498 s.

[11]) de Philostrati itineribus cf. Münscher 498.

[12]) 173, 1 ss. — [13]) 155, 17 ss.

Philostratum fabulas populares secutum esse appareat, Grentrup[1]) locis invenit his: 181, 16 ss. 171, 22 ss. 207, 26 ss. 139, 13 ss. 198, 17 ss. 215, 3 ss. 168, 18 ss. Hoc vero ultimo loco de ludis in Hectoris honorem factis agitur, qua cum re bene convenit, quod Hectorem in Troade cultum esse etiam aliis testimoniis constat[2]). Denique Grentrup quae 215, 6 ss. traduntur e fabula in Troade pervolgata prompta esse censet, cum nusquam alias narrentur et Philostratum ea suopte usum ingenio excogitavisse[3]) veri dissimile sit.

Sed pluribus etiam locis in Philostrati heroico fabularum certis quibusdam in regionibus pervolgatarum indicia inveniri possunt, ut 150, 16 ss., ubi vinitor exorsus ab illo *ἔστι δέ τις λόγος* narrat Aiantem pastores Troianos terruisse; versu autem 26 rursum illud *λέγεται* invenitur. Neque quae 153, 28 proferuntur de illa ora maritima, *πρὸς ᾗ λέγεται* Palamedes *ὑπὸ τῶν Ἀχαιῶν βεβλῆσθαι* ex Troadis incolarum narrationibus Philostratus non deprompsit, praesertim cum in iis quae sequntur[4]) Palamedes vinitorem docuisse narretur, quomodo vites a calamitatibus tutari possit.

His omnibus igitur de quibus diximus locis respectis hanc summam faciamus necesse est: Philostratus quin saepius in heroico conscribendo fabulas in certis regionibus pervolgatas (vel, ut Grentrupi verbis utamur, fabulas populares) secutus sit, dubitari non potest. Quibus locis nonnunquam isdem fere locutionibus ut *λέγεται*, *φασίν*, *ᾄδουσιν*, *ἔστι λόγος* utitur ita, ut hoc modo fabulae populares quasi insignitae esse videantur. Cum autem complures fabulae a Philostrato narratae aliis testimoniis firmentur eumque eas invenisse veri sit dissimile et heroes Philostrati temporibus re vera summa cum diligentia cultos et homines iuvare et damno afficere posse creditos esse constet[5]), nihil relinquitur, nisi ut quae Philostratus de Rheso narrat tertio p. Chr. n. saeculo in Rhodope monte pervolgata fuisse credamus. Quodsi vero usque ad haec posterioris aetatis tempora

---

[1]) 66 ss. — [2]) cf. Lehnerdt ap. Ro I 1927, 20 ss. Crusius, Sitz. Ber. München 1905, 790 s.)

[3]) quod Roscher (Ro. I 268, 50) censuerat. Grentrupi sententiam pronuntiavit iam Rohde, Psyche II 373 adn.

[4]) 154, 25 ss. — [5]) Optime de hac re Rohde (Ps. II 350, 3) iudicavit) cf. Crusius 791 s.

Rhesi memoria in Rhodope monte — ubi quin Thraces ex antiquissimis temporibus habitaverint vix quisquam dubitabit — viguit, certissime hac re probatur Rhesum ingenuum esse Thracum heroem.

Denique in fine huius capitis commemorare non praetermittam vel ipsum Rhesi nomen sententiae meae de Thracia Rhesi origine favere. „Ῥῆσος“ enim vocem Thraciam e radice „reg“ ortam esse atque idem quod „rex“ significare iam pridem Tomaschek[1]) suspicatus est, quae sententia, a Leafio[2]) nullis prolatis causis repudiata, Perdrizetio[3]) Müllero[4]) Hirtio[5]) probata est, cum Kretschmer[6]) „Ῥῆσος“ ad „resku, rasku, rasc, rasch“ referendum esse censeat. Igitur quin Thracium sit hoc nomen, dubium non est[7]).

Iam summam faciamus eorum, quae primo capite tractata sunt: Cum Rhesi memoria diversis locis, ubi gentes Thraciae habitaverunt, floruerit, et Rhesum Thracem esse scriptores antiqui una voce testentur, re vera Rhesus ingenuus videtur Thrax fuisse. Quod in dubium vocari nullo modo potest, nisi in tractandis de Rheso fabulis Thracum sedum ratio nulla habetur neque auctorum fides satis diligenter examinatur. Patria vero Rhesi, unde eius memoria multas in alias regiones perlata est, Strymonis erat vallis, imprimis regio illa circa Amphipolim sita, quas res cum iis, quae supra exposui, luculenter iam demonstratas esse puto tum clarius cognitum iri spero, cum de Rheso tragoedia egerimus.

Caput alterum.

Compluribus tragoediae locis[8]) Rhesus Strymonis filius appellatur. Quod optime convenit cum iis, quae ab Homero, Marsya, Conone, Strabone nobis tradita sunt, e quibus auctoribus in Strymonis ripis Rhesi memoriam viguisse intelleximus. Cum igitur poeta Strymonis filium eum diceret, novi nihil invenit[9]), immo res, quales in valle Strymonis tradebantur, respexit.

---

[1]) II 1, 53. — [2]) qui de hac sententia temere hoc affirmavit: it „seems a curious recrudescence of prescientific etymology“ (p. 3).

[3]) 17 s. adn. 7. — [4]) Mnemosyne XLVI (1918) 138 et Philologus 78 (1923) 273. — [5]) Indogermanische Grammatik I Heidelberg 1927, 30.

[6]) Glotta XIV 1925, 103. — [7]) Idem tulit iudicium Sittig P. W. I A 625.

[8]) 279; 394; 652. — [9]) Leaf (p. 7) rationem inter Rhesum et Strymonem intercedentem ab oraculo inventam esse censet. cf. supra 5, 5. 13.

Iam vero quae tragoediae exitu discimus, cuius auctoritatem Porter[1]) suo iure praedicavit, accurate ac subtiliter explicanda sunt. Nam cum ceterae tragoediae partes cum Dolonia non valde discrepent[2]), exitus ab eis, quae Homerus narrat, quam maxime differt. Musa enim mater Rhesi[3]) filium in manibus gerens luget[4]) atque, qualis eum fortuna maneat, vaticinatur, Hectorem vero, qui Rhesum summis honoribus sepelire vult[5]), hoc facere vetat his verbis[6]) usa:

οὐκ εἶσι γαίας ἐς μελάγχιμον πέδον·
τοσόνδε νύμφην τὴν ἔνερθ' αἰτήσομαι,
τῆς καρποποιοῦ παῖδα Δήμητρος θεᾶς,
ψυχὴν ἀνεῖναι τοῦδ'· ὀφειλέτις δέ μοι
τοὺς Ὀρφέως τιμῶσα φαίνεσθαι φίλους.

Rhesus autem *φίλος* Orphei dicitur, quia consobrinus[7]) eius est; uterque enim Musae alicuius erat filius[8]). Quod vero Musa Proserpinam amicos Orphei honorare debere dicit, hoc ad versus 943/4 spectare videtur, ubi Orpheus Athenienses sacratissima mysteria docuisse narratur, quem hac re Proserpinae gratum fecisse libenter credimus. Orpheus vero num iusto iure Eleusinia docuisse dici possit, quod Porter[9]) Harrisoniam[10]) secutus contendit, admodum dubium est, cum Kern[11]) et Farnell[12]), viri religionis antiquae peritissimi, Orpheum in Eleusiniorum cultu multum valuisse negaverint. Orphei vero mysteriorum Proserpinam participem fuisse Maass[13]) censuit. Quoquo vero modo res se habet, auctorem tragoediae rationem inter Orpheum et Proserpinae mysteria intercedere putavisse negari vix potest, etiamsi illa ratio re vera non videtur intercessisse. Immerito igitur Perdrizet[14]) Rhesum carminibus orphicis, quibus omnes „puri“ utantur, recitandis Proserpinam adeo commoturum esse dici

---

[1]) XVI. — [2]) cf. Godofredi Hermanni opusc. III 284 ss.

[3]) De Musa Rhesi matre infra dicemus. cf. 35 ss. — [4]) 890 ss

[5]) 959 s. — [6]) 962 ss. — [7]) 944.

[8]) Orpheus a plerisque Calliopes filius putabatur. Locos v. ap. Pape—Benseler, Wörterbuch gr. Eigennamen, Braunschweig 1884[3] II 1078.

[9]) XIX. — [10]) quae multa ex Orphicorum Bacchi cultu ab Eleusiniorum cultoribus recepta esse censet. Prolegomena to the study of Greek religion Cambridge 1908[2], 539 ss. — [11]) Ath. Mitt. 16 (1891) 14. Orpheus, Berlin 1920, 30. — [12]) The cults of the Greek states III Oxford 1907, 152.

[13]) Orpheus, München 1895, 67. — [14]) 16.

putat, ut eum mortem effugere patiatur, id quod e Musae verbis in tragoedia pronuntiatis efficere non licet.

Gravissimus vero qui ad nostram de Rheso Thracum heroe quaestionem pertinet locus sequitur. Pergit enim Musa[1]):

κρυπτὸς δ' ἐν ἄντροις τῆς ὑπαργύρου χθονὸς
ἀνθρωποδαίμων κείσεται βλέπων φάος,
Βάκχου προφήτης ὥστε Παγγαίου πέτραν
ᾤκησε σεμνὸς τοῖσιν εἰδόσι θεός.

Quo in loco primum quidem incertum videtur illud *σεμνὸς . . θεός* utrum ad Rhesum an ad *Βάκχου προφήτης* referendum sit, deinde quis sit ille *Βάκχου προφήτης*. Ac Porterum[2]) recte censuisse existimo illud *σεμνὸς . . θεός* ad *Βάκχου προφήτης* revera esse referendum. Nam spatium, quod intercedit inter *ἀνθρωποδαίμων* et *σεμνός*, longius est, quam ut facile is qui audiat illud *σεμνός*, memor esse possit illius *ἀνθρωποδαίμων*.

Quis sit ille Bacchi propheta, magna est virorum doctorum dissensio, qua in quaestione disceptanda primum in Pangaeo monte Bacchum cultum esse animadvertamus. Nam Herodotus[3]) de Xerxis itinere per Thraciam facto cum dicit, Satras Bacchi oraculum altissimis in montibus habere et vaticinia a muliere *κατάπερ ἐν Δελφοῖσι* edita Bessos interpretari narrat, et paulo post[4]) Satras una cum Pieribus et Odomantibus imprimis (*μάλιστα*) Pangaeum ait montem habitare. Atque Lycurgum Bacchi prophetam hoc loco dictum esse nonnulli viri docti[5]) putant. Qui rex Edonum Dionysum eiusque nutrices in Nysaeo[6]) monte persecutus caecatus esse dicitur iam ab Homero[7]), Sophocles[8]) vero saxo eum Baccho irascente esse inclusum significat. Hunc Lycurgum et Bacchum postea confusos esse cum Strabo[9]) tradiderit, Thraemer[10]) Lycurgum participem fuisse religionis atque

[1]) 970 ss. — [2]) XIX. — [3]) VII 111. — [4]) VII 112.

[5]) Vater (Eur. Rhes. ed. Berolini 1837, 280) hunc locum vertit hoc modo: „Rhesus numen erit, quemadmodum Lycurgus, Bacchi sacerdos, sanctus deus Pangaeum habitat.“ Thraemer Ro. I 1051. Marbach P. W. XIII 2438, 31 ss. — [6]) Perdrizet (48) Homerum *Νυσήϊον* Pangaeum montem dixisse probare conatus est. — [7]) Z 137 ss. Fabulam de Lycurgo praeterea tractaverunt Eumelus (fr. 10 Kinkel Ep. Graec. fr. I Lipsiae 1877 p. 192) et Aeschylus in Bassaris, de quibus v. infra p. 29 (Nauck Trag. Gr. fr. Lipsiae 1889 [2] Aesch. fr. 23—25).

[8]) Ant. 955 ss., ad quem locum cf. E. Bruhn, Soph. Ant. erkl. [11] Berlin 1913. — [9]) X 471. — [10]) Ro. I 1052.

cultus ab Edonibus Baccho oblati coniecit. Sed Lycurgum ex inimico et persecutore vatem Bacchi factum esse cum veri dissimile sit, Lycurgum hoc tragoediae loco significatum esse vix probabile videtur.

Ernestus vero Maass[1]) prophetam Bacchi neminem esse nisi Orpheum, quem Musa paulo[2]) ante nominaverit, contendens hoc modo argumentatur: Aeschylus[3]) Orpheum in Bassaris a Maenadibus Thracibus dilacerari, ossa vero dispersa a Musis colligi et *ἐπὶ τοῖς λεγομένοις Λειβήθροις* sepeliri finxerat. Libethrum quidem prope Olympum ad Dium situm[4]) erat, ubi posterioribus temporibus Orphei sepulcrum monstratum esse Pausanias[5]) testis est. Sed cum Pieres prope Olympum habitantes pulsos a Macedonibus in regionem ad Pangaeum sitam demigrasse traditum[6]) sit, et Himerius[7]) Libethrios Orpheum colentes ad Pangaeum habitare narraverit, Aeschylum a Pangaeo, ubi dispersa collegerant ossa, Musas sepeliendi causa ad Olympum ea portantes fecisse vix probabile videtur. Immo ossa Orphei iisdem locis, quibus tota res geritur, i. e. in Pangaeo, apud Aeschylum sepeliebantur. Quod Maassii argumentum refellere conatus est Perdrizet[8]) Himerium errore captum Libethrios Pangaei incolas dixisse contendens. Persaepe enim posterioris aetatis scriptores de rebus geographicis errore esse lapsos. Sed cum Pieres, qui antea prope Libethrum Olympicum habitaverant, postea prope Pangaeum sedes habuerint, quae Himerius tradidit sane confirmantur. Praeterea Maass[9]) alios quoque locos protulit, ut Orpheum ad regionem circum Pangaeum sitam relatum esse probaret. Velut Vergilius[10]) Orpheum Eurydice coniuge iterum amissa „septem . . . menses / rupe sub aëria deserti ad Strymonis undam / flevisse et gelidis haec evolvisse sub antris“ narrat, et Iamblichus[11]) Pythagoram Libethri per Aglaophamum sacris arcanis initiatum esse et Aglaophami testimonio usum narravisse tradit Orpheum a matre in Pangaeo monte eruditum numerum dixisse *ἀίδιον ἀρχὰν προμαθεστάταν τῶ παντὸς ὠρανῶ καὶ γᾶς καὶ τῆς μεταξὺ φύσιος* . . . Cum igitur compluribus locis[12]) Orpheum in Pangaeo versatum

[1]) 68 s. 134 ss. — [2]) 966. — [3]) Nauck p. 9. cf. Eratosthenis catasterismorum rell. rec. C. Robert, Berolini 1878, 140. — [4]) Strab. VII 330, 18.

[5]) IX 30, 7. — [6]) Herod. VII 112. Thuc. II 99. Strab. IX. 410.

[7]) Or. XIII 4. — [8]) 30. — [9]) 135, 18. — [10]) Georg. IV 507 ss.

[11]) vit. Pyth. p. 146. — [12]) ceteros locos invenies apud Maassium 136, 18.

esse traditum sit, Maass non dubitat, quin Rhesi tragoediae auctor hoc loco haec fere significare voluerit: Rhesus in antris versaturus est terrae argentosae ex homine in daemonem mutatus lucem videns — i. e. vivus[1]) — simili modo atque Orpheus propheta Bacchi in Pangaei montis saxis consedit (nam aoristus ᾤκησε „ingressivus“ est), qui (Orpheus) venerabilis deus habetur ab iis qui sapiunt[2]).

At Orpheus num deus merito appellari possit Wilamowitz[3]) quidem in dubium vocavit. Sed naturae divinae minoris cuiusdam ordinis eum participem esse poeta fortasse putabat, cum mystis tantum (τοῖσιν εἰδόσιν) venerabilis deus esse dicatur. Quod si ponimus, munere Bacchi prophetae fungi poterat, quod cum natura vere divina non convenire Wilamowitz iure censet. Quoniam vero Orpheum cum Baccho artissime coniunctum esse Kern[4]) docuit, eum Bacchi prophetam hoc loco dici mirum non est. Quare Maassii opinio, quamvis incerta sit, non ita labefactata esse mihi videtur, ut sit repudianda.

At Perdrizet[5]) Rhesum ipsum prophetam illum Bacchi esse statuit, quoniam de Lycurgo vel Orpheo Bacchi prophetis nihil traditum sit. Praeterea versus 972 et 973 male superioribus adiunctos esse et comparationem coniunctione ὥστε applicatam claudicare censet. Itaque pro ὥστε, quod haud recte sit traditum, illud ὅστε (vel ὅς γε), quod in codice Palatino[6]) sit, scribendum esse declarat. Quod vero Perdrizet de concinnitate verborum non servata queritur, levidense est argumentum, quia saepius[7]) apud tragicos Graecos loci inveniuntur, quibus ὥστε ei postponitur rei, cum qua aliquid comparatur. Praeterea illud ὅστε — levissima sane mutatione ex ὥστε factum — utrum ad Βάκχου an ad προφήτης referendum sit, interim nescimus. Leaf[8]) quidem de propheta interpretatus illud ea ipsa de causa falsum esse dixit, quod fieri non posset, ut pars vaticinii aoristo tem-

---

1) cf. Vater p. 279, qui contulit Aesch. Pers. 299; Eumen. 746.
2) cf. Porter XXI.
3) Hermes LXI 1926, 285, 1. — 4) Orpheus, Berlin 1920, 26, 28.
5) 27, 10, ut ante eum Matthiae et Musgrave. cf. Vater 279.
6) ὅστε legitur in P².
7) cf. Aesch. Suppl. 750 ss. Ag. 671. Soph. Trach. 536 ss. Simillimum vero fr. Soph. 756 Nauck: μόλυβδις ὥστε δίκτυον κατέσπασεν, ad quod cf. Pearson (The fragments of Sophocles, Cambridge 1917 fr. 840). — 8) 5, 11.

pore pronuntiaretur[1]). Quod quoniam recte dictum esse puto, Perdrizetum ὅστε potius ad Βάκχου rettulisse credo, quamquam hoc eius ex verbis clare cognosci non potest: „Rhésos“, inquit[2]), „serait le prophète du dieu des mystères, lequel a pour trône les cimes rocheuses du Pangée“. Paulo vero infra poetae duas res notas fuisse affirmat:

I. Rhesum Amphipoli coli,

II. supra Amphipolim magnum fuisse Bacchi oraculum a Bessis administratum. Bacchi igitur prophetae munere Rhesum ita functum esse opinatur, ut Bessorum vaticinia interpretantium mentes atque animos regeret. Qua in re nova oboritur difficultas, cur propheta non eodem loco, quo oraculum illud situm erat, i. e. summo in monte, sed sub radicibus montis Amphipoli in antro habitaturus esse dicatur. Hac inconcinnitate vitata eodem fere modo atque Perdrizet Wilamowitz[3]) locum de quo agimus interpretatus est. Qui vir doctissimus neque Lycurgum neque Orpheum Bacchi prophetam aut deum merito dici posse, immo ipsi Rheso hoc munus tribuendum ideoque ὅστε scribendum esse iudicat. Rhesum habitaturum esse in illo antro, ut sit propheta Bacchi, qui (Bacchus) venerabilis deus sit iis qui sapiant. Qua levi emendatione facta (ὅστε pro ὥστε) etsi sermonem eleganter fluere libenter concedimus, tamen duae quominus Wilamowitzio assentiamur obstant res. Primum enim quicumque audiverit vel legerit Βάκχου προφήτης ὅστε . . hoc pronomen relativum ad προφήτης, non ad Βάκχου referet. Deinde quod Bacchus σεμνὸς τοῖσιν εἰδόσιν θεός dicitur, Wilamowitz hoc modo explicare conatur, ut Bacchum Thracum deum Graecis hominibus minus notum fuisse contendat. At Bacchum, cuius e cultu tragoedia Attica originem duxerat, IV. a. Chr. n. saeculo Graecis notum vix fuisse nemo, ni fallor, credet. Quare verba illa σεμνὸς τοῖσιν εἰδόσιν θεός non nisi ad minorem aliquem deum referri posse puto. Quod vero Ridgeway[4]) Bacchum et Dionysum non eundem esse deum, immo Dionysum Bacchi prophetam dici probare conatus est, hoc conamen a Nockio[5]) summo iure reiectum est.

---

1) Idem obstat, ne Βάκχου προφήτης ad ipsum Rhesum referendum et ὥστε pro itaque usurpatum esse putemus. — 2) 27.
3) Hermes LXI 1926, 285, 1.
4) Class. Quart. XX 1926. 17 s. — 5) Class. Rev. XL 1926, 185.

Ceterum Nock[1] ipse non ὅστε scribit sed ὥστε servat atque in Zalmoxim, qui heros Getis persuasisse traditur[2]) hominibus moriendum non esse, animum advertit. Testimoniis enim nisus Herodoti[2]), Strabonis[3]), Hellanici[4]) fortasse fieri potuisse censet, ut Zalmoxis Bacchi diceretur propheta. Sed cum Zalmoxis in regione magis ad septentrionem versus sita versatus esse videatur, Rhesi tragoediae auctorem de rebus geographicis male edoctum fuisse concludendum esset, quod ne Nock quidem libenter concedit. Ceterum Nock illud quoque fieri potuisse putat, ut apud populum, qui Zalmoxim et Orpheum invenerit et multis locis Bacchum veneratus sit, aliorum quoque prophetarum memoria viguerit, quorum vestigia admodum obruta sint. Sed multa a Nockio parum dilucide dicta sunt. Nam ἀνθρωποδαίμονα eundem esse dicit ac Βάκχου προφήτην, quamquam ὥστε, non ὅστε scribi vult et in fine commenti Rhesum cum propheta illo comparari contendit. Cuius sententia haec fere esse mihi videtur: Ut Zalmoxis „prototypos" eorum divinorum prophetarum fuerit, quos Getarum regi adesse Strabo tradidit, ita Bacchi illum prophetam hoc Rhesi tragoediae loco commemoratum, „prototypon" esse eorum Bacchi prophetarum, quos in illo Bacchi oraculo in Pangaeo monte sito prophetae munere fungi Herodotus[5]) narret. Atque hunc prototypon prophetam ipso nomine Bacchi prophetae ornatum in Pangaeo monte cultus participem factum esse. Quae Nocki opinio, etsi satis lubrica est, tamen non prorsus reprobanda esse mihi videtur.

Summam igitur totius de his tragoediae versibus disputationis si facimus, nullam quas v. d. protulerunt sententiarum ita demonstratam esse atque confirmatam, ut nihil dubii relinquatur, concedendum est. Quare certam quandam amplecti vix licet. Maassi tamen opinio maxime mihi placet.

Etiam Marsyae temporibus Amphipoli sepulcrum Rhesi exstitisse supra vidimus, quod a Thracibus, non a Graecis exstructum esse probare sumus conati. Quae res bene convenit cum Musae de Rhesi domicilio in tragoedia dicto vaticinio; nam quod Musa in antro Rhesum versaturum esse vaticinatur, Marsyas Rhesi μνημεῖον exstructum fuisse narrat ex adverso

[1]) Class. Rev. XL 1926, 185. — [2]) Herod. IV 94–96.
[3]) VII 297 s. XVI 762. — [4]) fr. 73 Jacoby.
[5]) VII 111.

collis, in quo Musae erat ἱερόν, naturae loci ratio habenda est. Amphipolis enim in colle sita erat aequabiliter ex Strymonis valle acclivi, quo flumine tribus ex partibus circumfluebatur, antra vero in Strymonis sinistra ripa sita Vergilius quoque commemorat eodem loco[1]), cuius supra mentio facta est. Itaque Rhesi antrum sub radicibus collis ad ipsum flumen situm postea sepulcro exornatum esse videtur, cuius ex adverso Clius ἱερόν in gradu aliquo collis, in quo Amphipolis erat aedificata, exstructum erat.

Quodsi Amphipoli ad Strymonis patris ripam Rhesi filii herois et antrum et sepulcrum sita erant, quin Thraces Amphipolitani heroem Rhesum venerati sint, dubium esse non potest, etsi, quomodo cultus sit, cognoscere vix licet, quia testimoniis de hac re omnino destituti sumus.

Sed Rhesum cultum esse Leaf[2]) praefracte negavit, teste usus Cicerone[3]), qui Orpheum et Rhesum Musis matribus natos, quia nusquam colerentur, deos non esse contendit. Quod vero Rohde[4]) Ciceronis fortasse temporibus Rhesum cultum non esse dixit, hoc stare nullo modo posse Leaf putat, quoniam Cicero Rhesum cultum non esse dixerit, nemini theologorum Alexandrinorum, quibus Cicero usus sit auctoribus, qui strenue undique colligere solerent, quibus nixi argumentis unamquamque sententiam affirmarent, quicquam de Rhesi cultu notum fuisse ratus. Quam argumentationem in aqua positam esse facile perspicimus: unde enim Leaf Ciceronem, cum hanc in transitu proferret adnotatiunculam, doctissimos Alexandrinos grammaticos secutum esse compertum habet? Neque silentio praetereamus, quod Orpheum, quem Cicero sicuti Rhesum nusquam coli contendit, re vera cultum esse nisi divinis at certe heroicis honoribus constat[5]). Quod vero Rohde Rhesum deum fuisse opinatus est, dubium videtur esse, qua de re infra[6]) erit agendum. Hoc vero pro certo affirmare licet: tragoediae auctorem, quae de Rheso antrum habitante Musam dicentem induxit, ipsorum e Thracum fabulis sumpsisse veri esse simillimum.

De Musa Rhesi matre in tragoedia[7]) vetustissima nobis

[1]) Georg. IV 507 s. — [2]) 3 s. — [3]) nat. deor. III 45.
[4]) Psyche I 162 adn. — [5]) Gruppe ap. Ro. III 1082 ss. 1084 ss. Baege 182 ss. Kern, Orpheus, 17; 24, 2. — [6]) 50.
[7]) 349 ss. 387. 393. 651 s. 890 ss. 919 s.

praesto sunt testimonia. Atque si quaerimus, utrum Thraces an Graeci Musam herois de quo agimus matrem dixerint, magni sane momenti est cognoscere, ipsum Musarum[1]) coetum utrum Graeci primitus an Thraces animo conceperint atque praedicaverint. Quas antiquissimis temporibus in regione circum Olympum montem sita et imprimis Libethri et Pimpleae cultas esse constat, unde ex Iove et Mnemosyna prognatae[2]) cum ad Heliconem translatae, tum per totum fere orbem terrarum perlatae ac pervolgatae sunt. Atque ad Heliconem eas Hesiodus[3]) primus revocavit, sed non ita, ut rationem inter Musas et Olympum intercedentem negaret, immo multis locis[4]) Olympiades vel similibus nominibus eas appellaret; in Pieria[5]) eas natas et novenarium[6]) earum esse numerum testatur, cum Homeri in carminibus chorus incerti numeri (non raro cum Apolline coniunctus) dearum cantandi peritissimarum et canendi artem ardenter amantium[7]) vel una Musa poetas libenter adiuvans vel ad canendum impellens[8]) nobis occurrat[9]). A Thracibus vero Musarum cultum ad Heliconem esse translatum Strabo[10]) et Pausanias[11]) tradunt. Sed Thraces num re vera media in Graecia umquam fuerint, quod Hellanicus[12]), Thucydides[13]), Ephorus[14]) testantur, a recentioris aetatis viris doctis in dubitationem vocatum est. Wilamowitz[15]) quidem Thraces Boeoticos Graecae fuisse originis opinatus est, quam sententiam Hiller de Gaertringen[16]) refutavit, qui quamquam ipse certum iudicium de hac re ferre ausus non est, tamen Orphicos in his rebus tradendis multum valuisse contendit[17]) et ex accuratissimis de Orphicorum carminum et doctrinarum et fabularum historia quaestionibus instituendis fore sperat[18]), ut „remotis sane multis, quae veteres et nostrae quoque aetatis viri docti ad Thraces falso rettulerunt, iis quae

[1]) De Musis cf. Preller-Robert Gr. Myth. I 484 ss. Bie ap. Ro. II 3228 ss.
[2]) *Β* 491; 598. *ϑ* 468. Hes. Th. 25; 53; 76; 915. — [3]) Th. 1. Op. 658.
[4]) Th. 25; 36; 51 s. 75; 114; Op. 2. — [5]) Th. 53.
[6]) Th. 76. cf. *ω* 60. — [7]) *Α* 604. *Β* 598. Hes. Th. 37. Op. 2. *ω* 60.
[8]) *Α* 1. *Β* 484; 492; 761. *Λ* 218. *Ξ* 508. *Π* 112. *α* 1. *ϑ* 73; 480. *ω* 62. Hes. Th. 114. Op. 662.
[9]) Musas vero posterioribus demum temporibus distinctos esse Bie demonstravit. D. Musen in der antiken Kunst, Berlin 1887, 95 ss. 100. 103. 105.
[10]) X 471. — [11]) IX 29, 3. — [12]) fr. 42 Jacoby. — [13]) II 29.
[14]) fr. 119 Jacoby (= Strab. p. 401). — [15]) Aus Kydathen, Berlin 1880, 129. — [16]) 52. — [17]) 55. — [18]) 56.

remanebunt confidentius paulo uti possimus ad illorum, qui in Graecia olim fuerunt, Thracum imaginem restituendam.“ Toepffer[1]) vero sine ulla dubitatione gentes Thracum in mediam Graeciam migravisse affirmat, cum E. Meyer[2]) in dubio relinquat fabulae, quae sunt de Thracibus Dauliensibus et Eleusinis, utrum verae an falsae sint, et Fimmen[3]) simile quidem iudicium ferat, sed Thraces expeditiones aliquas in medias Graeciae regiones fecisse veri non dissimile esse concedat. Contra Beloch[4]), quod Thraces ad Heliconem et in Phocide sedes habuisse dicuntur, hoc inventum esse censet a posterioribus, qui Musas ad Heliconem et ad Olympum coli et nomina aliqua Pieriae et Boeotiae communia esse — quod forte factum sit — mirati hanc rationem excogitaverint, ut Musas a Thracibus in mediam Graeciae partem esse translatas putarent. Quin etiam Pieriae incolas Paeones, Paeones vero Graecam fuisse gentem Beloch[5]) demonstrare conatus est. Quae opiniones a Kazárowio[6]) reiectae sunt, qui de Thracibus in media Graecia habitantibus Toepfferi sententiam probat.

In hac tanta sententiarum discrepantia ac repugnantia certum de Thracibus mediae Graeciae et de Musarum origine iudicium ferre non audeo. Sed tamen meam de Musarum origine opinionem proferre liceat: Etsi in Musis animo concipiendis Thracum informationes aliquid apud Graecos valuisse propter rationem, quam inter Thraces et Musarum cultum intercessisse scriptores tradunt, veri non dissimile videatur, tamen mihi persuasum est in excolenda Musarum notione Graecos plurima e suo peculio hausisse. Nam et Musarum vox[7]) et singularum Musarum nomina omnia Graeca sunt, et munera, quae tutricibus et fautricibus artium et litterarum cantandi et fidium peritissimis addicuntur, adeo cum Graecorum ingeniosa indole conveniunt, ut eos has deas ab alia gente accepisse credi vix possit.

Cum vero utrum Musae a Graecis primo an a Thracibus animo conceptae sint, frustra quaesiverimus, nunc iam, quo loco

[1]) Attische Genealogie, Berlin 1889, 38, 1. — [2]) G. A. I 2^{3}, 805.
[3]) N. J. 1912, 535. — [4]) Gr. G. I 1, 78. Idem Tomaschek censuerat I 33.
[5]) I 1, 70; 79. I 2, 56 ss. — [6]) Klio XVIII 1923, 20—26.
[7]) Preller-Robert I 485, Curtius (Grundz. gr. Et. Leipzig 1873^{4}, 312), Bie (Ro. II 3228), Leo Meyer (Lehrbuch d. gr. Et. Leipzig 1902 IV 361) *Μοῦσα* e *Μοντια*: *Μονσα* ortum esse et ad radicem *μον*, *μεν* esse referendum censuerunt.

Thamyram[1]) cum Musis contendisse primitus narratum sit, quaeramus. In tragoedia[2]) enim certamine illo ad Pangaeum montem translato bonam dari occasionem, qua Musa in transeundo flumine Rhesum filium concipiat, facile intellegitur. Quare si ante tragoediam factam alio loco Thamyram cum Musis certavisse narratum esse effici potest, auctorem tragoediae hac in parte antiquis fabulis usum esse veri fit dissimile, immo multo probabilius iudicabimus poetam hoc de suo addidisse vel alium poetam Graecum, qui ante ipsius tragici poetae tempora floruerat, secutum esse. Atque primum quidem in navium catalogo[3]) Homerico Thamyras Oechalia a rege Euryto rediens Dorii[4]) a Musis propter superbiam (victorem enim se fore vel cum Musis certantem gloriatus erat) occaecatur ac mutus fit. Dotii[5]) vero Thamyram contendisse Stephanus Byzantius Hesiodum narravisse apud Orum se legisse dicit. Sophoclem vero Thamyrae cum Musis certamen in Thraciam transtulisse e fragmento aliquo[6]) fabulae quae inscribebatur Thamyras recte, ni fallor, concluserunt. Atque posterioris aetatis scriptores omnes unanimi Thamyram in Thracia et imprimis in Acte paeninsula versatum vel natum esse tradunt, ut Asclepiades[7]) Musas in Thraciam pervenisse ibique cum Thamyra certamen inisse et Conon[8]) nympham compressam a Philammone ex Peloponneso in Acten fugisse ibique Thamyram peperisse narraverunt, quem adultum arte citharoedica tantopere praecellentem fuisse, ut regem Scythae, quamquam erat advena, eum facerent. Deinceps Conon Musarum certaminis facit commemorationem. Actes vero paeninsulae

---

[1]) de Thamyra cf. Höfer Ro. V 464 ss. Preller-Robert II 413 ss.

[2]) 915 ss. — [3]) B 594 ss. quo loco usus est Pausanias IV 33, 7.

[4]) De Dorio et Oechalia locis Messeniae Strabo agit VIII 350. cf. Ameis-Hentze-Cauer ad B 596.

[5]) Cum B. Niese (Hom. Schiffskat. als hist. Quelle betrachtet, Kiel 1873, 22) auctorem catalogi Hesiodi loco usum, sed errore lapsum pro *Δώτιον Δώριον* scripsisse censuisset, Christ (Gr. L. I[6] 24, 5) Dorii e sententia antiquissimorum scriptorum Thamyram contendisse putavit. Sed Meineke in editione Stephani (Berolini 1849) recte iudicasse mihi videtur, cum diceret fabulam de Thamyra ab Homero Dorium, ab Hesiodo Dotium revocatum esse. cf. Höfer Ro. V 470.

[6]) 216. Welcker, Gr. Trag. I. Rhein. Mus. Splt. I 1839, 419. Pearson I 176. Höfer Ro. V 471. — [7]) schol. ad Rhes. 916, Rhein. Mus. 63 (1908) 420.

[8]) 7.

Thamyram regem fuisse etiam Strabo[1]) et isdem fere verbis Eustathius[2]) narrant. Atque similia Pausanias[3]) hac de re habet, scilicet Thamyram filium fuisse Philammonis et Argiopae nymphae, quam a Parnasso monte cum ad Odrysas emigravisset, ibi eum peperisse, qua re eum Odrysam vel Thracem vocatum esse[4]). In hac tanta testimoniorum diversitate fuisse etiam, qui duos Thamyridas exstitisse traderent[5]), mirum sane non est.

Quare de Thamyra eiusque origine certum iudicium ferre perdifficile est. Nam quamquam apud omnes fere scriptores Thrax fuisse traditur, parentum nomina Graeca ubique commemorantur, et cum Homerus et Hesiodus in Graecia eum versatum esse narraverint, ceteri scriptores ad Thraciam eum revocaverunt, ubi cum natus, tum peregrinus fuisse a nonnullis traditur. Itaque virorum doctorum de hac fabula sententiae valde discrepant. Wilamowitz[6]) enim et Orpheum et Thamyram Graecos ingenuos fuisse, posterioribus demum temporibus Thraces putatos esse censet, quam sententiam Toepffer[7]) et Gruppe[8]) non probant. Sed quod ad nostram attinet quaestionem, a quo primo certamen inter Thamyram et Musas in Pangaeo factum esse traditum sit, statuere sat habeo. Atque Robert[9]) Sophoclem primum hoc finxisse censuit. Nam e versibus 921 ss. Rhesi tragoediae poetam Sophoclis Thamyram tragoediam secutum esse clare cognosci posse putat. Sed Rhesi poetae Sophoclis fabulam quamquam notam fuisse libenter concedimus, inde nullo modo efficitur, quod Robert affirmat. Nam illo Sophoclis fragmento nusquam nisi ad Atho delegamur. Atque eodem spectant quae Conon[10]) tradit: *αἰδουμένη* (de nympha agitur) *δ᾽ἀπαίρει Πελεποννήσου καὶ εἰς τὴν Ἀκτὴν παραγενομένη τίκτει κοῦρον Θάμυριν.* Nam quod Robert[11]) *Ἀκτήν* Atticam dici opinatur, quod, ut Acte

---

[1]) VII 331, 35. — [2]) p. 299, 6 ss.

[3]) IV 33, 3. Eodem loco Pausanias Balyram flumen Messeniae inde nomen accepisse narrat, quod Thamyras obcaecatus lyram ibi abiecerit, quod eum e commentatione ad *B* 595 scripta sumpsisse Heberdey censuit (cf. Höfer, Ro. V 469, 25).

[4]) Hanc fabulam posterioribus inventam esse temporibus, cum ratio quaesita esset, cur Thamyris Thrax vocaretur, Hiller de Gaertringen suo iure statuit P. W. II 719. — [5]) schol. ad Rhes. 916.

[6]) Hom. Unt. 212. Sitz. Ber. Berl. 1925, 56, 1.

[7]) Att. Gen. 34, 1. — [8]) Ro. III 1078, 28. — [9]) Gr. Myth. II 415.

[10]) 7. — [11]) II 415, 5.

paeninsula significetur, fieri non possit, cum Thamyras in iis quae sequuntur *ἐπηλύτης* dicatur, non probo. Primum enim Thamyras *ἐπηλύτης* merito vocari potuit, quamquam in Acte natus erat, quod et nympha brevi demum ante partum eo venerat et pater profecto peregrinus erat. Deinde et Pausanias [1]) Argiopen in Odrysas migrasse ibique Thamyram peperisse narrat et Strabo [2]), quem secutus est Eustathius [3]), in Acte Thamyram regem fuisse tradiderunt. „Scythas" vero in locis quos attuli Thraces ideo dictos esse Kanne [4]) et Hoefer [5]) iudicaverunt, quod vocibus Scytharum et Thracum poetae saepe altera pro altera uterentur, neque de hac re Robert [6]) aliter sentit. Qui quod Pausaniae testimonium minoris esse censet momenti, quod eius narratio depravata sit, cum Argiope ad Parnassum montem translata esse et ea de causa emigrasse dicatur, quod Philammon matrimonium cum ea inire noluerit, animadvertamus necesse est a Conone Argiopes nomen omnino non commemorari et Strabonis testimonio Thamyram ad Acten paeninsulam esse revocatum confirmari. Igitur Roberto, ut Sophoclem in Pangaeo monte Thamyram cum Musis certantem primum induxisse demonstraret, non contigisse puto et, cum nullo alio loco certamen in Pangaeo monte factum esse traditum sit, Rhesi auctorem primum hanc loci rationem excogitavisse veri non dissimile mihi videtur. Magnopere autem dolendum est, quod Aeschyli locus vel tragoedia, ubi de Thamyra eum egisse a scholiasta [7]) discimus, interiit [8]). Atque sententiam meam ipsis ex Musae quae in tragoedia facit verbis probabilem fieri puto. Nam quod Musa longe lateque disserit [9]), quomodo factum sit, ut Strymonis lecto appropinquaret, qui legit eam in opinionem adducatur necesse est poetam novam quandam fabulae rationem, quam ipse excogitaverit, hoc loco proferre, eoque consilio eum hoc fecisse, ut occasionem, qua Musa Strymonem transiret, adipisceretur. Quae si probantur, Musam a Graecis et mea quidem sententia ab auctore Rhesi fabulae Rhesi matrem dictam esse efficitur.

Cui sententiae hoc quoque favet, quod, cum auctor tragoediae nomen Musae, quae Rhesum genuit, nullo loco commemoret, summa de hac re dissensio iam apud antiquos orta est. Alios enim Clius [10])

---

[1]) IV 33, 3. — [2]) VII 331, 35. — [3]) 299, 6 ss. — [4]) Cononis narrationes ed. K. Göttingen 1798, 83. — [5]) Konon, 65 s. et Ro. V 471. — [6]) II 415. [7]) schol. Rhes. 916. — [8]) cf. Hoefer Ro. V 472, 8 ss. — [9]) 915 ss. — [10]) schol. Rhes. 346.

filium Rhesum dixisse — in quorum numero Marsyam quoque fuisse scholiasta tradidit [1]) — alios Euterpes, ut Heraclidem [2]) et Apollodorum [2])[3]), in scholiis [4]) certiores fimus, Terpsichores Aristophanem Byzantium ex hypothesi ad Rhesum scripta aliosque e scholiis [5]) discimus. Denique Apollodori quae dicitur in bibliotheca [3]) Calliopen quoque Rhesi matrem dictam esse traditur. Tanta sententiarum diversitas exorta vix esset, si certi aliquid de nomine Musae Rhesi matris notum fuisset. Atque ipse tragoediae auctor, cum nihil de Musa Rhesi matre ab antiquioribus traditum esset scriptoribus, certo nomine eam designare ausus non esse videtur.

Denique legentis vel audientis sane movet admirationem, quod in tragoedia admodum saepe Musam esse Rhesi matrem commemoratur. Nam postquam chori carmine [6]) Strymonem per Musae integrum sinum fluentem Rhesum genuisse expositum est, identidem iis quae sequuntur Musa Rhesi mater praedicatur. In salutando enim Rheso chorus [7]):

„*θεός*", inquit, „*ὦ Τροία, θεὸς αὐτὸς Ἄρης*
ὁ Στρυμόνιος πῶλος ἀοιδοῦ
Μούσης ἥκων καταπνεῖ σε", et Hector [8]):
„*παῖ τῆς μελῳδοῦ μητέρος Μουσῶν μιᾶς*
Θρῃκός τε ποταμοῦ Στρυμόνος . .".

Quid, quod Athena [9]), cum, ut Paridem decipiat, Rhesum a se missum socium Troiam venisse narrat, hoc modo heroem designat: „*τῆς ὑμνοποιοῦ παῖδα Θρῄκιον θεᾶς Μούσης, πατρὸς δὲ Στρυμόνος κικλήσκεται*"? Hoc vero loco et in versu 393 Musa mater ante patrem commemoratur, quo clarius atque certius auribus ac mentibus spectatores percipiant Musam esse Rhesi matrem. Atque poeta hanc rem tam saepe proclamasse mihi videtur, ut audientes identidem monerentur Musam Rhesi esse matrem, quod vix fecisset, si iam vel veteribus fabulis popularibus vel in poetarum carminibus, qui aetate Rhesi tragoediae auctori antecesserant, haec res tradita fuisset.

Reliquum est, ut quaeramus, quomodo factum sit, ut tragoediae auctor animum induxerit, ut Rhesi matrem Musam esse

---

[1]) de hoc loco infra disputabimus. — [2]) schol. Rhes. 346.

[3]) bibl. I 3, 4. — [4]) Schol. Il. *A B T* ad *K* 435. cf. Eustathium ad eundem locum. — [5]) Schol. Il. *A* ad *K* 435. — [6]) 350 ss. — [7]) 385 ss.

[8]) 393 s. — [9]) 651.

fingeret. Qua in re primum tot alios[1]) heroes et poetas Musarum filios dictos esse recordemur, ut profecto mirandum non sit de Rheso idem esse fictum. Clarius vero fortasse cognosci potest, qua de causa poeta ille hoc excogitaverit, si illud fragmentum Marsyae[2]) minoris, quod iam supra[3]) commemoravimus, diligentius interpretamur. Ex quo primo obtutu concludendum esse videtur Marsyam ipsum Clio Rhesi matrem putavisse, id quod scholiasta re vera falso credidit. Nam ex illo enuntiato *εἰσὶ δὲ οἵ καὶ περὶ τούτου εἶπον..* Marsyam aliorum, non suam proferre sententiam cognoscimus, et particula *καὶ* scriptor idcirco usus esse videtur, ut ea quae sequuntur iis quae antecesserant, quibus Marsyam suam ipsius sententiam exposuisse sumimus, eodem modo adiungeret, quo usi, cum aliorum sententiam a nostra diversam proferimus, dicere solemus: „Es gibt aber auch Leute, die betreffs dieses Mannes behaupten . .“. Noli mirari illud *καὶ* ad *οἵ*, non ad *περὶ τούτου* a me relatum esse. Etenim locutio illa *εἰσὶ δὲ οἵ* tam arte quasi coaluit atque cohaeret, ut illa particula *καί* interposita dissolvi vix possit. In illis vero quae sequuntur templum Clius ex adverso sepulcri Rhesi situm a Marsya fortasse eam ob causam commemoratur, ut quomodo factum sit demonstretur, ut Rhesi mater Clio diceretur, ideoque quod iam pridem Deiters[4]) censuit, cui Baege[5]) assensus est, mihi quoque probatur: Musam Rhesi matrem ideo dictam esse, quod herois sepulcrum proxime Musae templum situm erat, ipsumque Marsyam in hac fuisse sententia non prorsus improbabile videtur.

Postremo de Rhesi matre, quam Thraces primitus putaverint, coniecturam facere liceat, quamquam certi nihil de hac re probari posse consentaneum est, quia ipsorum veterum testimoniis omnino destituti sumus.

Quodsi propter templum Clius Amphipoli exstructum tragoediae auctor Musam Rhesi esse matrem effecit, Musam a Thracibus herois illius matrem primitus putatam esse satis certo concludere non licet; nam Musae templum a Graecis demum, qui exeunte quinto a. Chr. n. saeculo Amphipolim urbem condiderunt, exstructum esse veri est simillimum. Iam vero

[1]) In schol. Il. *A* ad *K* 435 et schol. Rhes. 346 catalogi liberorum Musarum exstant. — [2]) fr. 6 = schol. Rhes. 346. — [3]) 12 s. — [4]) Über die Verehrung der Musen bei den Griechen, Bonn 1868, 34, 5. — [5]) 128.

statua parva feminae Amphipoli reperta est[1]), quam a Lysippi aliquo discipulo factam Heuzey[1]) opinatus Musarum statuarum similem esse iudicavit. Sed hanc ob rem, quin templum antiquioribus temporibus aedificatum sit, non est cur dubitemus, neque id quidem constat Musam hac statua repraesentari neque hoc posito hanc Musam ad templum a Marsya commemoratum esse referendam. Immo non improbabile duco in hoc templo deam aliquam a Thracibus primitus cultam esse[2]), quam Graeci propter similitudinem quandam inter Musarum et huius deae simulacra intercedentem Musam dixerunt, nisi Graecos in hoc templo Thracum deae dicato Clius statuam posuisse eique sacrificia obtulisse probabilius iudicas. Marsyae autem temporibus Clio in hoc templo Amphipolitano cultam esse cum nihil sit cur non credamus, hunc scriptorem errore lapsum de Clius templo disputasse contendere vix licet. Deam vero aliquam Thraciam in templo a Marsya commemorato vel alias in regione Amphipolitana cultam Rhesi matrem Thraces habuisse facile credimus. Atque licet suspiceris Ciasam[3]), Ciasi Edonum regis filiam, quam a Graecis Phyllidem[4]) appellatam esse e scholiis ad Aeschinem[5]) conscriptis colligere licet, Rhesi matrem primitus creditam esse. Qua cum heroide Acamas — vel ut ab aliis traditur Demophon — Thesei filius Troia rediens amore se coniunxerat; qui cum die constituto non redisset, Phyllis nonies ad maris litus frustra cucurrisse, ut navi advectum amasium eminus conspiceret, simulque, ut Athenienses totidem clades[6]) eodem loco acciperent, exsecrata esse narratur. Hanc vero ob rem illam regionem *Ἐννέα ὁδούς*[7]) appellatam esse. Hos *ἀρχαίους*

[1]) Heuzey-Daumet, Mission archéologique de Macédoine, Paris 1876, I p. 168. II planche 6, 2. Reinach, Répertoire de la statuère II 1 Paris 1897, 303, 2. — [2]) Idem fere iudicium Adler tulit P. W. XI 862, 46 ss.: „Dieser Kult ist sicher ein thrakischer und hat mit der Muse nur die Namensgleichheit gemeinsam.“ — [3]) cf. Tomaschek II 2, 48. Knaack ap. Ro. III 2486, 10 ss.

[4]) Phyllis regionis eiusdem nominis herois eponymus erat. cf. Wil. S. B. Berlin 1925, 49, 1. De finibus huius regionis v. Herod. VII 113.

[5]) II 31. cf. Tzetzes ad Lyc. 495 et Bekker An. 251.

[6]) De his Graecorum et imprimis Atheniensium cladibus cf. Thuc. IV 102, Diod. XII 68, 2. schol. ad Aeschin. II 31. Münscher B. ph. W. 1920, 139 ss. Bilabel, Philol. Suppl. XIV 1, Leipzig 1921, 221.

[7]) Quin locus Thracius, in quo postea a Graecis Amphipolis condita est, a Thracibus *Ἐννέα ὁδοί* appellatus non sit, quis dubitet, cum Graecum

μύθους se Philippo regi Macedonum in comprobanda Atheniensium illarum regionem proprietate atque auctoritate narravisse Aeschines[1]) gloriatur. Atque Athenienses Demophontem vel Acamantem cum Phyllide commercium habuisse eo consilio finxisse ac narravisse, ut iure regionem circa Amphipolim sitam dotem uxoris Thesei filii repetere viderentur, rectissime viri docti[2]) contenderunt, quae sententia mihi quoque de huius fabulae origine deliberanti se obtulit, praesertim cum hoc modo probetur, quod eodem in scholio traditur Phyllidis et Demophontis fuisse filiam, cui nomen Amphipolis erat. Ciasam vero illam deam Thracum ingenuam, Hecatae Graecorum similem fuisse Knaack[3]) coniecit, eiusdemque Amphipoli aliquod templum vel sepulcrum vel aliud quoddam insigne vestigium fuisse ex Antipatris Sidonii[4]) carmine efficitur, quo Aethiopiae Brauroniae ibi templum fuisse disertis verbis dicitur. Sed haec de vera Rhesi matre minus certa in transitu protulisse sat habeo.

Caput tertium.

Iam ad eam quaestionem procedamus, quomodo factum sit, ut Rhesus a Diomede necatus esse diceretur, quod in Dolonia primum narratur. Nam quin illis fabulis, quas nostra lingua „Sagen" dicimus, aliquo modo res quaedam gestae significentur, quis est qui dubitet[5]), etsi certi aliquid ex eiusmodo fabulis cognoscere atque perspicere perdifficile est? Atque iis, quae de Rheso a Diomede necato et de ereptis praeclarissimis eius equis

hoc nomen esse primo obtutu cognoscatur? Immo Thracium nomen cum illo Ἐννέα ὁδοί sonu aliquo modo congruens a Graecis hoc modo mutatum esse veri est simillimum. Quare Perdrizet (Bull. corr. Hell. 1922, 41) de hac re opinatus est radicem nominis Odonum (= Edonum) et in nomine Odomantum et in vocabulo Thracio, quod Graeci in Ἐννέα ὁδοί mutaverunt, inesse. Beloch (Griech. Gesch. II 1 198/9 not. 1) Bream postea Amphipolim vocatam esse suspicatus est.

[1]) II 31. cf. Tzetzes ad Lyc. 495 et Bekker An. 251. — [2]) Toepffer P. W. I 1144, 45 ss. Knaack P. W. V 150, 62 ss. Wilamowitz S. B. Berlin 1925, 49, 1. — [3]) Ro. III 2486, 15. — [4]) A. P. VII 705. Hoc loco Ciasa Graece Ἠδωνὶς Φυλλίς vocatur. — [5]) De hac ratione in fabulas inquirendi optime disseruerunt Bethe N. J. VII 1901, 661; N. J. XIII 1904, 10 et Wilamowitz S. B. Berlin 1925, 57 ss. Kroll vero (N. J. XXIX 1912, 161—180) summam diligentiam et cautionem in huius modi quaestionibus adhibendas esse monuit, quod praeceptum me non neglexisse spero.

narrantur, bella colonorum Graecorum cum Thracibus orae septentrionalis maris Aegaei incolis circa Abderam gesta significari Bethe[1]) censuit. Diomedem enim Thracem[2]) qui vocetur, cuius feri equi, qui hominibus vesci narrabantur, cum ipso domino ab Hercule prope Abderam superati sint, eundem esse Bethe opinatur ac Diomedem Tydiden, qui in eadem regione contra Thraces pugnans ab auctore decimi Iliadis libri inducatur; neque enim ad Troadem, sed ad Thraciae oram hanc pugnam revocandam esse, cum Rhesus ab Hipponacte Αἰνειῶν πάλμυς appelletur et Diomedes Abderites et Ulixes Maronites vicini sint. Fabula vero de qua agimus pugnas inter Thraces et gentem Thracibus hostilem in ora septentrionali maris Aegaei commissas significari Bethe recte cognovit, sed quod de Diomede Thrace tulit iudicium vix iustum esse mihi videtur. Nam Diomedes ille Thrax Herculis, i. e. Graeci herois, est adversarius[3]), Diomedes autem, qui in Dolonia Rhesum necasse narratur[4]), Thracem necat et ipse Graecus esse videtur. Eundem autem hic contra Thracem illic contra Graecum heroem pugnare quomodo explicetur, si ipsum Graecum esse putemus? Cum vero prioribus temporibus viri docti[5]) laborem Herculis summam huius fabulae esse rati in alium locum hunc laborem primitus revocandum, postea demum cum Abdera condenda copulatum esse censuissent, hanc de hoc Herculis labore fabulam iis temporibus, quibus Abdera condita est vel hanc urbem condere conati sunt, ex illis ipsis Graecorum expeditionibus et pugnis originem duxisse hodie fere constat[6]). Nam cum Herculem alio loco Diomedem eiusque equos superavisse nusquam traditum sit, complures[7]) vero Herculis labores ad Thraciam spectent, hunc laborem alio transferre non licet. Atque Herodotus[8]) Abderam primum conditam esse

[1]) N. J. VII 1901, 660; 664. P. W. V 818. — [2]) De hac fabula cf. Robert (Gr. Myth. II 458—462), qui vir doctus cum quae scriptores de hac re tradiderunt optime enarraverit et interpretatus sit et virorum doctorum sententias dilucide perlustraverit, ea tantum, quae ad nostram quaestionem gravissima sunt, breviter tractare sat habeo. — [3]) Eurip. Alc. 483 ss. Her. 380 ss. Diod. IV 15, 3. alios locos invenies apud Robertum. — [4]) K 494 ss. [5]) Studniczka, Kyrene, Leipzig 1890, 137 ss. et Ro. II 1735, 64. Wilamowitz, Heracles, 2. Bearb. Berlin 1909, 65; 302. Bethe P. W. V 817. — [6]) cf. Wilamowitz, Sappho u. Simonides, Berlin 1913, 254. Friedländer, Heracles Philol. Unt. XIX Berlin 1907, 3. Robert Gr. M. II 461, 1. — [7]) de his v. Friedländer 3 ss. — [8]) I 168.

tradidit a Timesio Clazomenio, quem postea Tei conditorem venerati essent, denuo a Teis Persarum servitutem fugientibus. Clazomenios vero circa annum a. Chr. n. 656, Teios circa 543 hos colonos emisisse constat[1]). Quod vero Abderus, qui alias[2]) Herculis ἐρώμενος dicitur, cuius memoriam ut servaret, cum a Diomedis equis devoratus esset, Hercules Abderam urbem condidisse fertur, apud Pindarum heros armis indutus aëneis celebratur atque, ut tueatur urbem, invocatur[3]), Abderum verum fuisse Abderae conditorem optimo iure conclusum est[4]), qua cum re bene convenit, quod Solinus[5]) haec habet: „hanc Abderam olympiade prima et tricesima senio conlapsam Clazomenii ex Asia ad maiorem faciem restitutam, oblitteratis quae praecesserant[6]), nomini suo vindicaverunt" Quod vero Abderus a Diomedis equis devoratus esse narratur, hac re Abderum post Abderam conditam pugnantem interfectum esse, Diomede vero ab Hercule superato Jurenka[4]) postremum Graecos vicisse significari censet. Qui vir doctus quae cum de Hercule pro Melquarto posito, tum de emporio Phoenicum circa Abderam sito disseruit[7]) praetermittamus, cum ex iis, quae de Phoenicum rebus comperta habemus, talia concludere vix liceat[8]). Summi vero momenti ad nostram quaestionem est ille locus paeanis Pindarici, quo de Abdera condenda agitur, quem quamquam valde mutilatum esse magnopere dolemus, virorum tamen doctissimorum opera factum est, ut, quae narraverit poeta, cognoscere possimus[9]): χρὴ δ᾽ἄνδρα τοκεῦσι φέρειν βαθύδοξον αἶσαν·

τοὶ σὺν πολέμῳ κτησάμενοι χθόνα πολύδωρον, ὄλβον
ἐγκατέθηκαν, πέραν Ἀ[θόω][10]) Παιόνων

---

[1]) Hirschfeld P. W. I 22. Strack, Nordgriech. Münzen I 1, Berlin 1912, 4.

[2]) Hellan. fr. 105 (= Steph. Byz. s v. Ἄβδηρα). cf. Apollod. II 5, 7. Hyg. fab. 30. Strab. VII 331, 44. Robert II 460, 1.

[3]) Paean. in Abderitas. Ox. Pap. V 841 p. 27 ss. vers. 1 ss., 104 ss. cf. v. Arnim, Wiener Eranos, Wien 1909, 8—19 Jurenka, Philologus 71 (1912) 173—210. Sitzler, W. kl. Phil. 1911, 586—590. Wilamowitz, Sappho u. Sim. 246—256. — [4]) cf. Jurenka p. 175. Wilamowitz, S. u. S. 254.

[5]) 10, 10. — [6]) Solinus eodem loco Abderam primo conditam ac nominatam esse tradit a Diomedis sorore, quam fabulae rationem vetustiorem esse quam de Abdero Herculis famulo Bethe argumentis non allatis contendit P. W. V 817, 6 ss. — [7]) 176. — [8]) cf. Strack 1, 2; 2, 4. Friedländer 12. — [9]) versus 57—65. — [10]) De Arnim 15 s. (quod Wilamowitz probavit S. S. 246-250) hoc modo lacunam explevit usus scholio ad v. 65 adscripto: ὑ]π[έ]ρ τὸν Ἄθω ἐκβληθέντες οἱ ἐνοικο[ῦ]ντες ἐπῆλθον [ἀ]μυνούμ[ενοι το]ὺς ἐκβαλόντας,

αἰχματᾶν [λαοὺς ἐλάσαντε]ς[10]) ζαθέας τροφοῦ· ἄλλα [δὲ μωμένα][1])
ἐπέπεσε μοῖρα · τλάντων δ᾽ἔπειτα θεοὶ συνετέλεσσαν.

De Arnim hunc locum ad illum Herodoti rettulit, quo Timesium Clazomenium, Abderae conditorem a barbaris pulsum, a Teis, qui postea Abderam occupavissent, conditorem cultum esse narratum est. Quae interpretatio valde mihi placet atque a Sitzlero[2]) probatur. Optime enim textus et scholium[3]) inter se concinunt; quod vero Abderitae, qui versu 64 fortunam subire et a dis adiuti hostes vincere dicuntur, iidem esse videntur atque qui haud exiguo spatio intercedente antea expulsi sunt, hoc in carmine a poeta neglegenter tractatum esse quis miretur? Gravius vero alterum est argumentum, quod Jurenka[4]) ad refutandam quam de Arnim dixit sententiam protulit: τοκῆας nullo[5]) alio loco dici maiores, sed semper propria vi servata hanc vocem ad designandos parentes usurpari.

Sed etiamsi τοκῆες nusquam alibi maiores dicti sunt, tamen non prorsus negandum esse videtur fieri potuisse, ut Pindarus licentia quadam poetica usus hoc loco Abderitas Clazomenios patres Teorum Abderitarum diceret, nam quamquam Wilamowitz[6]) Clazomenios Teorum maiores non fuisse recte dixit, tamen ante illos hunc locum habitaverant et utrique gentis erant Ionum.

Jurenka[7]) vero et Wilamowitz[8]) illud τοὶ σὺν πολέμῳ.. ad Teios referentes versibus 63 ss cladem aliquam, de qua nihil

---

καὶ ἐνίκ[ησ]αν. Jurenka vero coniecit ἀ[γρίων] (ut Grenfell et Hunt) Παιόνων αἰχματᾶν [ἃς καρπὸν ἄγοντε]ς ζαθέας τροφοῦ (p. 204) et scholio ad 65 adscripto cladem Teiorum narrari opinatur, ἐκβληθέντας ἐνοικοῦντας de Graecis colonis interpretatus. Sed quaestio fit, cur Tei ad Atho, i. e. in regionem inter occidentem et meridiem sitam, repulsi sint, quos ad mare et ad orientem et meridiem, unde venerant, repulsos esse probabilius esset. Praeterea unde scholiasta illud Ἄθω sumpsit, nisi hoc nomen supra in ipso paeane erat commemoratum? Itaque quod de Arnim coniecit magis mihi placet quam quod Jurenka. — [1]) Wilamowitz 249 s. — [2]) 588. — [3]) cf. p. 44 adn. 10.

[4]) 180, 11. — [5]) Quod scholiasta ad Odysseae η 54 adscripsit vocem τοκῆες ut vocem πατέρες, ut πρόγονοι significentur, nonnunquam usurpari, haec sane ad solvendam illam discrepantiam ficta sunt, quae inde exoritur, quod in versu 54 Alcinous et Arete isdem parentibus nati esse dicuntur, in versibus autem qui sequuntur Arete fratris Alcinoi filia dicitur. Cum vero versus 56 ss. a posterioris aetatis auctore additi sint (cf. Kirchhoff, Homerische Odyssee, Berlin 1879, 79 et 321. Ameis-Hentze ad η 54), Alcinous et Arete re vera consanguinei habendi sunt, vox vero τοκῆες propriam hoc loco habet vim. — [6]) 249 s. — [7]) 180. 203 s. — [8]) 249 qui memoria deceptus Arnimium idem censuisse opinatus est.

nobis aliunde traditum esset, significatam esse censuerunt. Sed quoquo modo res se habet, id sane summi momenti est, quod Pindarus nos certiores facit Teiorum patres Paeones trans Atho montem e terra expulsisse. De Arnim[1]) mirum non esse adnotavit Pindarum Thraces ab Abderitibus expulsos Paeones appellavisse, quos propius regionem inter septentrionem et occasum solis sitam habitavisse constaret, nam fieri potuisse, ut vel Paeonum pars in regione circum Abderam sita sedes habuerit, vel Pindarus populum non accurate designaverit. Wilamowitz[2]) vero alteri huic opinioni astipulatus Pindarum Paeones pro Bistonibus nominavisse neque locorum spatia inter Nestum et Axium sitorum satis cognita habuisse neque quicquam de Clazomeniorum expeditione scivisse censet. Sed praeterquam quod Pindarum, cum Abderitibus paeanem faceret, res eorum non bene cognitas habuisse vix puto, Paeones, quam gentem Illyricam[3]) Strymonios expulisse supra[4]) cognovimus, longius orientem versus solem progressos esse veri profecto dissimile non est, praesertim cum Herodotus[5]) Persas Megabazo duce in Europa relictos Perinthios subegisse, qui antea a Paeonibus valde vexati essent, tradiderit, et Bistonem, eponymum Bistoniae heroem, Martis et Callirhoes filium Odomantis et Edonis fratrem, ab aliis vero Paeonis Martis filii fratrem dictum esse apud Stephanum Byzantium[6]) traditum sit, qua altera genealogia Paeones in tempus ad orientem solem progressos esse significari Tomaschek[7]) probabiliter coniecit. Atque cum ex Pindari paeane et e scholiis ad 63 ss. adscriptis Clazomeniis aut Teiis in occupanda regione circum Abderam sita cum Paeonibus pugnandum fuisse discamus, Paeones Clazomenios septimo a. Chr. n. saeculo expulisse veri dissimile non est, neque ab omni probabilitate abhorret illos colonos Dorienses, quos Abderam condidisse aut condere conatos esse ex Herculis octavo labore colligere licet, cum Paeonibus pugnavisse. Atque quod Wilamowitz[8]) et Robert[9]) Doriensium inter Clazomeniorum et Teiorum expeditionem factam esse opinantur, contra, quoniam de hac Doriensium expeditione ab historicis

[1]) 16. — [2]) 249 s. — [3]) Tomaschek I 13 ss. Kretschmer Einl. 246. Hoffmann, Die Makedonen, Göttingen 1906, 117. Kazárow Klio 18 (1923) 20—26. cf. supra 35. — [4]) 17 s. — [5]) V 1. — [6]) s. v. *Βιστονία*. — [7]) I 41. — [8]) 254. — [9]) II 461.

nihil traditum est, et Hercules cum Abdera coniungitur, Doriensium expeditionem aetate propiorem Abderi quam Teiorum expeditioni fuisse contendere licet[1]). Quam ad rem maxime refert, quod Friedländer[2]) de Herculis laboribus ad Thraciam revocandis et de dodecathli poematis origine demonstrare conatus est. Qui vir doctus fabulam de Hercule et Diomede Thracio una cum ceteris de Hercule fabulis ad Thraciam spectantibus tractandam esse ratus omnes has narrationes ad expeditiones Doriensium coloniarum deducendarum causa susceptas spectare contendit et omnes has fabulas Doriensium Asiaticis in finibus ortas esse censuit, unde primi coloni Graeci in Thraciam venissent. Quod vero temporum rationem attinet, Friedländer[3]) has expeditiones non post annum 700 factas esse opinatur.

His Friedländeri sententiis usus hanc fere rerum gestarum imaginem adumbrare conamur: Exeunte octavo (vel ineunte septimo) a. Chr. n. saeculo Abdera ab Abdero vel ab hominibus, qui eum tutorem oppidi et heroem eponymum habuerunt, condita, sed brevi post deleta est. Dorienses (Rhodii ut Friedländer censet) paulo post contra Thraces cum Paeonibus mixtos, qui Abderum cum comitibus expulerant vel necaverant, feliciter pugnaverunt et urbem denuo vel, si primum conamen omnino ad irritum redactum erat, primum condiderunt, sed brevi novum oppidum ab iisdem illis populis antea victis deletur. Senio confectam urbem Clazomenii occupare atque reaedificare conati a Paeonibus pelluntur. Sexto denique saeculo Teiis contigit, ut Paeones et Thracias illarum regionem gentes ita vincerent, ut Abderam urbem tuto condere ac posthac tenere possent.

Itaque altera fabula de Abdero a Diomedis equis necato narrata mors primi conditoris vel eorum, qui primi Abderam condere conati sunt, altera fabula de Diomede ab Hercule superato domitisque eius equis, qui hominibus vescebantur, Doriensium victoria ab incolis eius regionis reportata significata esse videtur. Heroem enim quendam, cui equi sacri erant, in illa regione apud barbaros cultum fuisse optimo suspicamur iure,

[1]) Strack (p. 4) etsi Abderam iam ante Clazomeniorum expeditionem occupatam esse non contendit, tamen de Hercule fabulam ad priora tempora revocavit, et Jurenka (177) Abderam primum temporibus „*Αἰολικῆς ἀποικίας*“ a colonis Graecis conditam esse censuit, antea vero emporium ibi fuisse Phoenicum. — [2]) 3 ss.; 21; 30; 12; 17; 136 s. — [3]) 21.

ad quem Graecos colonos nomen Diomedis detulisse apertum est, sive quod nonnullae res, quae de heroe illo Illyrico narrabantur, Graecis Diomedis Tydidae memoriam revocabant, sive quod nomina similia erant[1]). Ceterum in excolenda Diomedis equorum domini persona Illyriorum fabulosas formationes aliquid valuisse Farnell[1]) nuper docuit, qui Illyrios Diomedem heroem nativum Thessalorum Achaeorum cum equis coniunxisse, per Illyrios vero Diomedem ad Venetos et ad Daunios perlatum esse censet. Atque simile aliquid iam diu animo meo obversabatur, Diomedem scilicet, quem apud Venetos Illyriorum gentem cultum esse Strabo[2]) tradidit, eundem esse ac Diomedem Thracem qui dicitur; uterque enim est heros Illyriorum, cui equi in deliciis erant, quem Graeci Diomedem vocaverunt. Quod Farnell, vir rerum, quae ad Graecorum cultum pertinent, peritissimus, Diomedis equos ad Illyrios referendos esse censuit, gravissimum mihi videtur testimonium, quo nisus sententiam meam de Diomede heroe Illyrio non prorsus a veritate abhorrere confidam, eamque ob causam hanc meam de Diomedis „Thracii" origine sententiam quamquam satis lubricam proponere ausus sum. Igitur quae de Diomede Rhesi interfectore et de Diomede ab Hercule superato narrantur, ad eundem heroem esse revocanda mihi persuasi, qui heros erat ingenuus Illyriorum, non Thracum.

Atque per Illyriorum migrationes Diomedes in vallem Strymonis perlatus est, unde cum gens Illyrica Paeonum Thraces Strymonios expulisset, fabula de Rheso Thrace ab Illyriorum heroe superato orta est. Strymoniis vero pulsis Paeones longius orientem versus progressi identidem cum Graecis colonis conflixerunt, unde fabulae de Diomedis „Thracis" feris equis et de ipso Diomede ab Hercule necato ortae sunt. Ut igitur rerum summam complectamur: idem Illyriorum heros et Rhesi interfector et Herculis adversarius dictus est, eumque Graeci postea Diomedem appellaverunt.

Hunc vero heroem Bistonum, Thraciae gentis, regem dictum esse mirum non est, nam Bistones, qui circa Abderam sedes habuerunt, a Paeonibus Diomedis cultum suscepisse improbabile non est, cum Bistones ab illis Paeonibus victos esse veri-

[1]) Farnell, Greek hero cults and ideas of immortality. Oxford 1921, 292.
[2]) V 215.

simile sit. Quod si minus probabile videtur, fieri sane poterat, ut Paeonum pars, quae Diomedem colebat, in Bistonum finibus consideret, Graeci vero, quia parva tantum pars finium Bistonum a Paeonibus tenebatur, hos quoque advenas Diomedis cultores Bistones appellarent.

Denique quae Tomaschek[1]) de Diomede Thrace opinatus est non praetermittam. Qui vir doctus quae de Diomede eiusque feris equis narrantur ad Thraciae cuiusdam gentis, ut Saiorum vel Sintiorum, principem referenda esse censuit, qui in Bistonum Thraco-Phrygiorum finibus consedisset. Quamquam certis argumentis hanc sententiam refutare difficillimum est, tamen sententiam meam de Diomede Illyriorum heroe propositam propius ad veritatem accedere mihi persuasum est, quod Thracum aliquem heroem Rhesum Thracem interfecisse minus videtur probabile, nisi forte gentes Thracias et Phrygo-Thracias accurate discerni posse credas, quod Tomaschek perficere conatus est[2]), et Strymoniorum in orientem versus factae migrationis Illyriorum gentis ex regione ad occidentem magis spectante profectionem causam fuisse magis e re esse videtur.

Restat, ut quaeramus, Graecine poetae de Rheso fabulam a Diomede necato poematis primi expresserint an Thracii. Qua de re vix quicquam certa cum fide affirmari potest, cum de Thracum poematis nihil fere notum sit. Sed quoniam apud barbaros quoque fabulas aliquas pervolgatas fuisse, quibus antiquissimorum temporum memoria vigeret, non est cur negemus, illam de Rheso a Diomede necato fabulam iam apud barbaros viguisse credere licet. Si autem Graecos demum eiusmodi fabulas animo finxisse putas, res, quas a barbaris compererant, fabulis eos expressisse quid vetat, praesertim cum iam octavo a. Chr. n. saeculo Graecos nonnullos ad septentrionalem maris Aegaei oram pervenisse veri non dissimile sit? Cum vero hae fabulae a Graecis ad Diomedem Tydiden revocarentur, poeta quidam Homericus fabulam de Rheso a Diomede necato in Iliadem recepit. Ceteras vero res, quae in Dolonia narrantur, ab ipso poeta adiecta esse et in his fingendis pugnas inter Graecorum colonos et barbaros oram Thraciam habitantes ei ante oculos versatas esse[3]) veri non dissimile mihi videtur.

[1]) I 41. — [2]) quod conamen non omnibus ex partibus probavit Kretschmer 173; 212 s. — [3]) id quod Wilamowitz (Il. u. Hom. 62 s.) optimo iure suspicatus est. cf. Cauer, Grundfr.³ 563.

Atque quoniam eo procedamus necesse est, ut, quae Rhesi fuerit vera natura, quaeramus, primum, cuius gentis primitus fuerit, indagemus. Qua in re cum eius memoriam imprimis in regione Amphipolitana viguisse supra cognoverimus[1]), ubi Edones prae ceteris habitavisse constat[2]), a veritate abesse vix videbimur, cum eum Edonum heroem primitus fuisse suspicabimur. Quod iam Rohde[3]) cognovit, qui vir doctus quod Rhesum deum gentis Edonum fuisse coniecit, nimium contendisse[4]) mihi videtur, quia Rhesum deum fuisse nullis efficitur testimoniis. Disertis enim verbis in Rheso tragoedia Musa filium sibi ut mortuum futurum esse vaticinatur[5]):

κἀμοὶ μὲν ὡς θανών τε κοὐ λεύσσων φάος
ἔσται τὸ λοιπόν· οὐ γὰρ ἐς ταὐτόν ποτε
οὔτ᾽ εἶσιν οὔτε μητρὸς ὄψεται δέμας·
κρυπτὸς δ᾽ ἐν ἄντροις τῆς ὑπαργύρου χθονός
ἀνθρωποδαίμων κείσεται . . .

Si Rhesus vere deus fuisset, quomodo tam artis circumscriptum terminis victurum eum esse Musa proclamare poterat? Deinde voce *ἀνθρωποδαίμων* hoc loco hominem daemonem factum, non daemonem humano corpore indutum, quam vim huic vocabulo subiectam esse Procopius[6]) testatus est, significari iam pridem Henricus Stephanus[7]) et denuo Paulus Perdrizet[8]) recte censuerunt. Nam quomodo Musa se Proserpinam, ut Rhesi animam dimitteret, oraturam esse dicere poterat, si Rhesus ipse deus erat immortalis? Igitur tragoediae auctorem Rhesum deum nativum existimavisse praefracte negandum est, neque magis Marsyae, Polyaeni, Philostrati testimoniis Rhesum ut deum cultum esse probatur.

Rex vero Thracum fuisse Rhesus nonnullis locis[9]) expressis traditur verbis, ceteris locis dux regius inducitur neque quidquam exhibetur, quod, ne Rhesum regem nativum existimatum esse arbitremur, obstet. Qua in re hoc premendum videtur a Conone[10]) Rhesum dici Strymonis Thracum regis filium,

---

1) 15. 26. — 2) Thuc. IV 102 et Diod. XII 68, 2, ubi Athenienses in condenda Amphipoli cum Edonibus pugnavisse traditur. Praeterea Antipater Sidonius (A. P. VII 705) Phyllidem huius regionis heroida eponymum Edonidem appellat. cf. supra 41 s. — 3) Psyche I 161, 2. — 4) Hac in re Leaf merito Rhodei sententiam sprevit. 3 s. — 5) 967 ss. — 6) apud Suidam s. v. *Ἀνθρωποδαίμονες.* Hesychius haec habet: *Βροτοδαίμονες: ἡμίθεοι.* — 7) Thes. ling. Gr. I 781. — 8) 29, 1. — 9) K 435. Strab. VII 331, 36. — 10) 4.

quem Strymonem etiam Philippi regis Macedonum temporibus deum cultum esse supra[1]) vidimus. Has ob causas haec fere obtinenda esse mihi videntur: Rhesum regem nativum Thracum post mortem heroem factum antrum Amphipoli habitare a Thracibus esse creditum et ibidem aliisque locis ut heroem esse cultum.

Sittig[2]) vero cum Rhesum daemonem nativum terram habitantem fuisse putaret, fortasse sumendum esse censuit Diomedem equorum hominibus vescentium dominum, quod ad cultum attineret, adversarium fuisse Rhesi benevolentissimi equorum alborum domini, sed ad hanc quaestionem dissolvendam testimonia quibus nitamur satis certa nulla suppetere idem vir doctus iudicavit, cum Jessen[3]) totam de Diomede Rhesi victore fabulam a Diomedis cultoribus idcirco inventam esse suspicatus sit, ut Rhesi cultum opprimerent, Diomedis propagarent. Qui vir doctus quod victoriam eorum, qui Diomedem colebant, hac fabula significari coniecit, recte quidem iudicavit, sed ad cultus mutationem hanc fabulam esse referendam non patet; nam si pugnas populi, cuius Diomedes, cum populo, cuius Rhesus heros erat, commissas significari statuimus, haec fabula luculenter explicata videtur esse, neque Abderae ullum Rhesi neque Amphipoli ullum Diomedis cultus vestigium exstat. Denique Sittigi sententia Rhesum terrestrem primitus daemonem a Thracibus putatum esse ideo reprobanda mihi videtur, quod ea probata mirum in modum hominum de Rheso opiniones fluctuassent. Etenim Rhesum daemonem nativum poetae primum mutata eius natura hominem dixissent, tum rursus heroem antrum habitantem eum factum esse contendissent. Multo sane simplicior et quae cum testimoniis magis conveniat ea est ratio explicandi: Rhesum, Thracum regem, post mortem heroem factum esse Thraces crediderunt, quae ratio ipso nomine[4]) *Ῥῆσος* probari videtur.

Denique quod attinet ad Rhesi immortalitatem, Thracum in animis informationes atque opiniones de immortalitate multum valuisse constat. Cuius rei celeberrimum exemplum Herodotus[5]) de Zalmoxi narrans exhibet, neque defuerunt, qui hunc heroem vel deum cum Rheso conferrent. Uterque enim antrum habitat, morbis medetur, venatur. Quae proprietates cum omnibus[6]) fere

---

1) 11. — 2) P. W. I A 629 s. — 3) Ro. IV 100. — 4) cf. supr. 26.
5) IV 93; 94. cf. Rohde, Psyche II 28 s. Kazárow Klio XII 1912, 355—364.
6) De heroibus of Deneken Ro. I 2441 ss. et Eitrem P. W. VIII 1111 ss.

heroibus communes sint, ex hac comparatione vix quicquam novi de Rheso cognoscimus.

Quod vero Rheso equi, venationes, arma in deliciis sunt, de hac re Jessen [1]) rectissime iudicavit, cum Thraces, quae ipsis in deliciis fuissent, ad suum heroem detulisse diceret, ut vel hac ex re Rhesum genuinum esse Thracum heroem cognosci possit.

Igitur ut summam faciamus, haec fere pro certo habenda esse puto: Rhesum Thracum regem post mortem heroem, qui antrum Amphipoli ad Strymonem situm habitaret, factum esse ipsi Thraces crediderunt. Cuius, Thrax cum esset, eae res propriae fuisse putabantur, quas Thraces ipsi summi aestimabant atque in deliciis habebant. Deum vero nativum eum fuisse negandum esse mihi videtur.

Conclusio.

Nunc iam totam de Rheso fabulae historiam brevi delineare conabor, simulque eorum, quae a posteriorum temporum poetis commenta atque vetustae Thracum fabulae adiecta esse videntur, gravissima quaeque perlustrare e re erit.

Rhesus igitur rex putatus est Thracum, Strymonis regis Thraciae filius, quem post mortem heroem factum Amphipoli antrum habitare Thraces credebant atque in Rhodopa monte prope Edonum sedes sito, ubi eum iam vivum venatum esse fortasse putabant, heroem venatorem venerabantur. Cuius memoria per gentium Thraciarum Edonibus proxime coniunctarum migrationes fortasse Aeniam vel Aenum, deinde in Asiam perlata est [2]). Quae migrationes certe partim Paeonum Illyricorum commotae esse videntur impetu in Strymonios facto. Paeones vero cum Strymonis accolarum magnam partem (non omnes; nam Rhesi memoria in Strymonis valle etiam post Paeonum impetum diu servata est) expulissent, nova a barbaris excogitata videtur fabula a Paeonum Illyricorum heroe (vel rege) Rhesum Thracem esse interfectum. Cum eodem vero Paeonum heroe vel rege, qui fortasse Bistones sub potestatem suam redegerat ideoque vel ab ipsis Bistonibus colebatur, Hercules conflixisse dictus est, qua fabula pugnae inter Graecos Abderae colonos et Illyriorum Thracumque harum regionum incolas commissae sig-

[1]) Ro. IV 110 s. — [2]) supra 16, 19.

nificantur. Qui Paeonum heros cum Diomedi Graeco aliquo modo similis esset, „Diomedes Thrax“ a Graecis appellatus est. Atque fabula de Rheso heroe Thracio a Diomede „Thracio“ necato iam apud barbaros pervulgata ad Tydiden eodem modo atque illa de Diomede Herculis adversario relata in Iliadem recepta est, quae res in ceteris rebus fingendis Doloniae auctori pugnas inter Graecorum colonos et Thraces commissas ante oculos versatas [1]) esse vix prohibet. Inde a Doloniae auctoris temporibus apud Graecos de Rheso Thrace Troum socio a Diomede necato fabula passim narrabatur atque tantopere praevalebat, ut Thracia fabulae origo paene obrueretur, quae erui omnino non posset, nisi tragoediae auctor Thraciam Rhesi originem novisset et e Thracia fabula res aliquas neque levissimas sumpsisset, id quod Wilamowitz [2]) iam pridem contendit, atque etiam a posterioris aetatis scriptoribus, qui certis quibusdam fideque dignis auctoribus usi sunt, testimonia de vera Rhesi origine nobis servata essent.

Ceterum ipse quoque tragoediae auctor nonnulla nova adiecisse videtur, quorum gravissimum illud est, quod matrem Rhesi, de qua vetustioribus testimoniis nihil nobis traditum est, quam deam aliquam vel heroidem (fortasse Ciasam) Thraciam Thraces putavisse improbabile non est, Musam primus, ut videtur, dixit. Cuius nomen quoniam tragoediae auctor non commemoravit, posteriorum temporum scriptores, quae Musarum Rhesi mater fuerit, cum ambigeretur, diversa hac de re iudicaverunt [3]). Praeterea in tragoedia aliquotiens accuratius explicatur, cur hoc vel illud fiat vel faciendum sit, quibus de rebus Steiger [4]) disputavit, quarum illud profecto ad hunc poetam ipsum referendum esse mihi persuasum est, quod Hector [5]) se Rhesum ex obscuro tyranno Thraciae dominum fecisse gloriatur, quo clarius, cur Rhesus Troianis auxilium ferre debuerit, cognoscatur, itemque quae Rhesus de bellis Scythicis narrat, quo prius auxilio venire se non potuisse demonstret, a tragoediae auctore inventa esse videntur, nisi forte eum e fabellis Thraciis hausisse putas, quibus res a Strymoniis in illa in Asiam migratione gestae significabantur.

[1]) cf. supra 49, 3 — [2]) Hom. Unt. 413.
[3]) cf. supra 38 s. — [4]) Euripides, seine Dichtung u. seine Persönlichkeit, Leipzig 1912, 93 s. — [5]) 406 ss. In fine tragoediae (930 ss.) nihil de his Hectoris erga Rhesum meritis commemoratur.

Cum vero Rhesus apud Homerum et Hipponactem et in tragoedia Troiae necatus esse diceretur, non mirandum, quod Graeci eum ibi sepultum esse putabant. Quam ad rem illud Pepli Aristotelici [1]) epigramma spectat, cum quo tragoediae versus 880 et 960 conferre fortasse non ineptum est. Praeterea Polyaenus, vel is quem secutus est auctor, Rhesum Troiae sepultum esse opinatus est.

Quod vero Rhesus Troiae necatus est, postquam nihil fere heroe dignum fecit, nonnullis poetis adeo displicuit [2]), ut Rhesum unum per diem cum Graecis pugnantem eosque fundentem et fugantem inducerent atque Iunonem, ne Graeci prorsus superarentur, veritam Minervam incitavisse narrarent, ut Ulixem et Diomedem aliquid contra hunc Thracem moliri impelleret [3]). Hanc de Rheso fabulam Pindarum [4]) exhibuisse e scholiis [5]) discimus, quorum uno loco [6]) oraculum Rheso datum esse additur, si ipse eiusque equi aquam Scamandri gustavissent, eum invictum fore, quam ad fabulam illi Vergilii [7]) versus referendi sunt, quibus in describenda pictura de Diomede Rhesi interfectore dicitur: „ardentesque avertit equos in castra, priusquam pabula gustassent Troiae Xanthumque bibissent,“ ad quos versus Servius [8]) adnotavit: „abductique sunt equi, quibus pendebant fata Troiana, ut si pabulo Troiano usi sint vel de Xantho Troiae flumine bibissent, Troia perire non posset.“ Eandem vero fabulam tragoediae quoque auctor, etiamsi ipse Homerum quam Pindarum sequi maluit, significasse videtur, cum Minervam faceret dicentem [9]):

„ὃς εἰ διοίσει νύκτα τήνδ᾽ ἐς αὔριον,
οὔτ᾽ ἂν σφ᾽ Ἀχιλλεὺς οὔτ᾽ ἂν Αἴαντος δόρυ
μὴ πάντα πέρσαι ναύσταθμ᾽ Ἀργείων σχέθοι . . .“

---

1) fr. 56 Diehl. cf. supra 14, 9.

2) cf. Philostr. heroic. 149, 22 ss.: (Ῥῆσον) μηδὲν εὐδόκιμον ἐν Τροίᾳ ἐργασάμενον μηδὲ δείξαντά τι ἐκεῖ λόγου ἄξιον πλὴν ἵππων λευκῶν.

3) Simili modo Graecis providens Iuno inducitur ab Homero *E* 311 ss. et *Θ* 350 ss., quos locos auctori alterius prologi ad Rhesum tragoediam scripti (quem prologum ab histrionibus factum esse argumenti auctor suspicatus est) ante oculos versatos esse conicere licet. Ceterum Parthenius quoque narrat (36) Rhesum *μαχόμενον* mortuum esse. — 4) fr. 181.

5) schol. A B T ad K 435. cf. Eustath. ad eundem locum.

6) schol. A ad K 435. cf. Wilamowitz, Pindaros, 346, 3. — 7) Aen. I 469.

8) cf. praeterea Serv. ad Aen. II 13. — 9) 600 s.

Atque quod ad flumina, quibus Rhesi nomen est, et ad Parthenii narrationem [1]) attinet, Rhesi memoriam ipsorum Thracum migrationibus in Bithyniam et in Troadem perlatam esse verisimile duco, cum fabula de Rhesi et Arganthones amore a poeta aliquo posterioris aetatis ficta esse videatur, quem Mysorum et Bithynorum coniunctionem hac fabula significare voluisse suspicari fortasse licet. Quod vero Rhesus apud Parthenium et Philostratum [2]) venator dicitur, hoc ad ipsorum Thracum de Rheso formationes referendum esse supra [3]) vidimus.

Denique Martis filium Rhesum a nonnullis dictum esse eodem in scholio [4]), de quo supra [5]) egimus, Servius tradidit. Cui grammatico, cum hoc scriberet, illum Vergilii locum [6]), quo „altaque“, inquit, „Pangaea et Rhesi Mavortia tellus“, animo obversatum esse Jessen [7]) recte coniecisse mihi videtur. Qui vir doctus quod fieri potuisse censuit, ut Rhesus antiquioribus temporibus Martis filius re vera haberetur, cum, quin inter Martem et Thraciam ratio quaedam interesset, dubium non esset, dissentio. Nam etsi Martem deum a Thracibus oriundum fuisse verisimile [8]) sit, tamen, cum unanimis vetustioribus testimoniis Strymon Rhesi pater dicatur, posterioris demum aetatis poetam aliquem Martem Rhesi esse patrem invenisse pro certo esse puto, qui deus Diomedis quoque „Thracis“ pater dictus est [9]), quod sive Diomedem „Thracem“ Illyrium nativum sive eundem ac Tydiden eum esse putamus, stare non potest, si Martem Thracem esse iure credimus.

Postremo facere non possum, quin de Rhesi morte fabulam rarissime in vasculis pictam esse [10]) commemorem. Id vero dignum est quod animadvertamus: non nisi Thracia veste et Thraciis bracis indutum Rhesum a pictoribus fictum esse, quae res cum Thracia eius origine optime convenit.

---

1) De his rebus v. supra 16 ss. — 2) v. supra 23 ss.

3) 52. — 4) ad Aen. I 469. — 5) 16. — 6) Georg. IV 462.

7) Ro. IV 107, 7 ss. — 8) cf. Ameis-Hentze ad *Δ* 439.

9) Eurip. Alc. 498. Apollod. bibl. II 5, 7.

10) cf. de hac re Jessen Ro. IV 104, 5 ss. Robert Gr. M. II 1168, 5.

Libris et commentationibus his potissimum usus sum:

v. Arnim, Hans: Pindars Päan für die Abderiten. Wiener Eranos, Wien 1909, 8—19.

Baege, Wernerus: De Macedonum sacris. Dissertationes philologicae Halenses XXII 1, Halis 1903.

Bethe, Erich: Homer und die Heldensage. N. J. vol. VII 1901, 657—676.

Farnell, Lewis Richard: Greek hero cults and ideas of immortality. Oxford 1921.

Friedländer, Paul: Herakles. Sagengeschichtliche Untersuchungen. Philol. Unt. 19. Berlin 1907.

Grentrup, Henricus: De heroici Philostratei fontibus. Diss. Monasterii 1914.

Hiller de Gaertringen, Fridericus: De Graecorum fabulis ad Thraces pertinentibus. Berolini 1886.

Hoefer, Ulrich: Konon. Text u. Quellenuntersuchung. Greifswald 1890.

Jurenka, Hugo: Pindaros neugefundener Paean für Abdera. Philologus LXXI 1912, 173—210.

Kazárow, Gawril: Die ethnographische Stellung der Paionen. Klio XVIII 1923, 20—26.

Kretschmer, Paul: Einleitung in die Geschichte der griechischen Sprache. Göttingen 1896.

Leaf, Walter: Rhesos of Thrace. Journ. hell. stud. XXXV 1915, 1—11.

Münscher, Karl: Die Philostrate. Philologus Suppl. X. Leipzig 1907, 467—558.

Perdrizet, Paul: Cultes et mythes du Pangée. Annales de l'Est. Année 24, fasc. 1. Paris 1910.

Porter, W. H.: The Rhesus of Euripides edited with introduction and notes. Cambridge 1916.

Preller-Robert: Griechische Mythologie. Berlin I. 1894. II 1920 ss.

P. W. = Paulys Realenzyklopädie der klassischen Altertumswissenschaft. Neue Bearb. Stuttgart 1893 ss.

Rohde, Erwin: Psyche. Seelencult und Unsterblichkeitsglaube der Griechen. Tübingen 1910 5 et 6.

Ro. = Ausführliches Lexikon der griech. und röm. Mythologie her. von W. H. Roscher. Leipzig 1884 ss.

Thraemer, Eduard: Pergamos. Untersuchungen üb. d. Frühgeschichte Kleinasiens und Griechenlands. Leipzig 1888.

Tomaschek, Wilhelm: Die alten Thraker. Sitz. Ber. Wien I. vol. 128 fasc. 4. 1893. II 1 vol. 130 fasc. 2. 1894. II 2 vol. 131 fasc. 1. 1894.

v. Wilamowitz-Moellendorff, Ulrich: Sappho und Simonides. Berlin 1913.

— — Die griech. Heldensage. Sitz. Ber. Berlin 1925. I 41—62. II 214—242.

Post examen rigorosum habitum haec in manus meas venerunt commenta:

Nock, A. D.: The end of the Rhesus. Class. Rev. XL 1926, 184—186.

Ridgeway, William: Euripides in Macedon. Class. Quart. XX 1926, 1—19.

v. Wilamowitz-Moellendorff, Ulrich: Lesefrüchte CCVIII, Hermes LXI 1926, 284—289.

Vita.

Natus sum Hermannus Josephus Johannes Rempe die V. mensis Iulii anni MCMIII patre Henrico, matre Antonia e gente Marre in civitate Borbeck, quae cum Assindia urbe in unum coacta nunc Essen-Borbeck vocatur. Fidem profiteor catholicam. Litterarum elementis imbutus gymnasium Borbeckense novem per annos frequentavi. Testimonium maturitatis adeptus vere anni MDCCCCXXII almam matrem Friburgensem adii, ut studiis philologicis et historicis et philosophicis me darem. Post sex menses Monachium me contuli, ubi ter sex menses civis fui academicus. Deinde quater sex menses Monasterii studiis omnem navavi operam.

Docuerunt me viri doctissimi Aly, Deubner (nunc Berolinensis), Geyser (nunc Monacensis), Immisch, Sütterlin Friburgenses; Bäumker †, Becher, Borcherdt, Kapp, Kehrer, Maurenbrecher, M. Meier, Muncker, Oncken, Otto, Pfänder, Rehm, Schwartz, Vollmer †, Weyman, Wolff, Wolters Monacenses; O. Hoffmann, Münscher, Münzer, de Salis, Schöne, Sonnenburg, Spannagel, Voigt, Vorländer, Wätjen Monasterienses.

Seminarii philologorum ut per tres annos inter sodales essem, Deubneri, Rehmii, Schwartzii, Kappii, Münscheri, Schönei, Sonnenburgii, benevolentia factum est, ad exercitationes seminarii historici Otto, Münzer, Spannagel benignissime me admiserunt, exercitationibus ut interessem archaeologicis, de Salis, metricis, Münscher liberalissime concessit.

Quibus omnibus viris gratiam habeo maximam, imprimis Carolo Münscher, quo auctore hanc commentationem scribere suscepi, quo adiuvante, ut eam conficerem, mihi contigit.

1403 N. Country Club Circle
Carlsbad, NM 88220, USA
575-885-3836, rempent@yahoo.com

Insistence on,
and cadaverous compliance with,
regulations without continuously
questioning and justifying
their factual and rational basis
is the last refuge of
the lazy, incompetent, and malevolent.

Each individual human being starts at conception.
Sanctioning induced abortion
starts with death-wish-ful thinking
in spite of reality.